EPITOME TROPORVM AC SCHEMATVM, ET GRAMMATICORVM ET Rhetoricorum,

AD AVTHORES TVM PROphanos tum ſacros intelligendos, non minùs vtilis quàm neceſſaria,

IOANNE SVSENBROTO RAVENſpurgi Ludimagiſtro collectore.

INDEX ALPHABETICVS in calce adiectus eſt.

LONDINI,
Ex Typographia Societatis Stationariorum.
1608.

AVTHORES QVI HVIC OPELLÆ OPERAM PRAESTITERVNT.

M.T.Cicero.
Fabius Quintilianus.
Georgius Trapezuntius.
Des. Eraſmus Roterodamus.
Philippus Melanchthon.
Diomedes, Grammaticus.
Ælius Donatus, Grammaticus.
Antonius Mancinellus Veliternus.
Martianus Capella.
Conſultus Chirius Fortunatianus ex Capella.
M. Veltkirchius, Rhetor.

IOANNES SVSENBROTVS ALMANGANVS, DISCIPVLIS SVIS, S. D.

BOni præceptoris officium est, literarum studiosa Iuuentus, vt in interpretandis Authoribus non modò Etymologiam ac simplicem verborum Syntaxin, & id genus alia prosequatur, verumentiam artificia tum Grammaticæ, tum Rhetorices, quæ ad Authores & prophanos & sacros ritè intelligendos haud mediocriter faciunt ad amussim ἀνεκδότως explanet atque commonstret, vt inde Authoris prælectionem facilius intelligere queant. Notantur præceptores oscitantes. Nam qui hæc artificia (Tropos dico & Schemata, quæ præcipuè inter exponendum indicanda erant) prætereunt, negligunt, ac contemnunt, prætérque casam, quod dicitur, fugiunt: hi perinde faciunt, ac qui Andabatarum more pugnare, atque adeò clausis oculis scopum attingere quempiam docere conantur. Ego sanè, quo id præcauerem, huiusmodi orationis ornamenta vobis ac cæteris Discipulis olim meis, pro virili ac ingenij captu, etsi non omnia semper, quæ occurrebant, pleraque tamen, quæ elegantiora videbantur, inter prælegendum velut digito commonstraui, quo sensus illius, quod prælegebatur, a vobis certiùs ac citra obscuritatem perciperetur, simúlque haberetis scribendi dicendique formulas, quas assiduo vsu imitari liceret. Cæterùm, quia præter Moscellani tabulas, nihil vobis Troporum ac figurarum in manibus erat, nactus otium

Auxesis, homœoteleuton.

Bacchanalium periphraſis.

Cõpar, & ἰδιοτίλαυτον.

Epanalepſis.

ἰδιοτίλαυτον.

Dicendorum ordo.

Genitiuus Græcus.

Articulus, & ἰδιοτίλαυτον.

tium à ludo literario per id temporis (quo infrenis illa hoc ſeculo perditiſſimi Iuuentus, per totam oppidum laruata, velut Iſidis æſtro percita, aut inferorum furijs exagitata, ſurſum deorſum curſitaret, Baccho Venerique parùm honeſtè litaret, ac reliquis pluſquam Ethnicis, ne dicam impijs, ritibus ſtrenuè vacaret, & mihi per catarrhum, plus quàm vellem καταῤῥίπτοντι, ad liberiora, ac publica, & quidem honeſta honeſtorum virorum ac ſenum conuiuia, hactenus apud nos iſtis Bacchanalibus recepta moribus, adire non liceret:) eo inquam tempore, vt illius tedium denorarem, Tropos ac Schemata, quæ apud Poëtas, Hiſtoricos, ac Rhetores in frequentiori vſu ſunt, ex ſelectis authoribus in hanc Epitomen colligere viſum eſt: quo vobis & in hac parte, ſicut in Grammaticis, conſulerem, anſam præberem, ac viam commonſtrarem ad horum lectionem Authorum, vnde hæc Epitome excerpta eſt. In qua quidem is ordo (quem Philip. Melanc. beniac lepida fatuidia vir, primus attigiſſe videtur) à me obſeruatus eſt. Primo enim loco Tropos poſuimus tum dictionum tum Orationum, deinde Schemata, quæ & ipſa in Grammatica & Rhetorica diuiſta ſunt: tum Grammatica iterum in Orthographiam ac Syntaxeos diuidimus. Rhetoricorum porrò Schematum tres ordines fecimus: Dictionum, Orationum, & Ampliſicationum. Idq; magis docendi gratia, quàm ſuperſtitioſa obſeruatione: nam & Rhetores & Grammatici Schemata quædam habent vel immutatis, vel variatis nominibus, quæ illis ſunt communia. Sunt & orationum Schemata (Fortunatianus λόγους appellat) quæ etiam Ampliſicationis exornationes dici merentur. Hanc igitur Epitomen eo accipatis animo, quo vobis vel etiam abſentibus Diſcipulis dedicaui, hoc eſt, lubenti, candido, ac beneuolo. Hanc obuijs, vt aiunt, manibus excipite, legite, relegite, ac animo inſcribite, tum in ſcribendi ac loquendi vſum redigite, cùm alioqui (vt ſæpenumerò vobis inculcaui) citra meditationem ac vſum ars omnis omni omnino vtilitate vacet.

Quod

Quod ſi feceritis, Muſarum ianuæ procul dubio vobis aperientur. Valete, ac Deum in veſtris precibus pro me interpellate. Rauenſpurgi ex Muſeolo noſtro. 5. Martij. Anno humanitatis Chriſti reconciliatoris noſtri, 41. Scholaſticæ adminiſtrationis, 35. Aetatis meæ, 56. qui mihi eſt Climax clericus, id quod Domini pietas bene vertat. Iterum valete, ac bonis literis, veræ ac certiſſimæ poſſeſſioni, omnibus neruis incumbite. Olim non pœnitebit.

Vegetius Traductio.

TYPVS HVIVS EPITOMES.



Summa Troporum ac Schematum in hac Epitome, 132.

Rhetorica est ars bene dicendi eius partes sunt duæ, elocutio, pronuntiatio: Talæus l. 1 c. 1.

Elocutio est tropus figura: Tropus est elocutio, qua verbum a nativa significatione in aliam immutatur certæ tropum necessitas genuit post a. delectatio iucunditasq celebravit:

Tropus verecundus esse debet ut deducheus in alium locum non venisse atq ut precario non vi venisse videatur: si durior sit xaTaXPnois dicitur si audacior Hyperbole: si continuata, αλλεγορια vocatur:

Troporum 2 sunt genera: Metonumia et Ironia Tro sunt

FIGVRA est ratio quædam, qua de recto ac simplici loquendi genere cum aliqua dicendi virtute deflectitur. Hæc authoritate, vetustate, consuetudine, & consensu doctorum plerunque, sæpè etiam ratione quadam ac metri necessitate defenditur. Vna tamen in re maximè vtilis, vt quotidiani, & semper eodem modo formati sermonis fastidium leuet, & nos à vulgari tum scribendi, tum dicendi genere defendat. Quòd si quis hisce figuris parcè, & cùm res poscet, vtetur, velut asperso quodam condimento, oratio iucundior erit: at qui nimiùm affectauerit, ipsam illam gratiam varietatis amittet. Fab. lib. 9. cap. 3. Figura vnde defendatur. Vtilitas. Vsus.

Illud tamen obseruandum, figuras certo numero omnes comprehendi non posse. Vnde notiores, ac ab authoribus frequentiore in vsu vsurpatas propria hîc ac certa ratione, tum exemplis quoque, discernere decretum est. Porrò figura diducitur in Tropum & Schema, siue figuram propriè. Fab. refragatur. Tropus

TROPVS est dictionis siue orationis à propria significatione in cognatam ornandi gratia variatio, ἀπὸ τοῦ τρέπειν, quòd dictionis, vel orationis significationem inuertat atque commutet. Motum appellant. Fab. lib. 8. cap. 5. in calce.

SCHEMA, vel figura propriè, est aliqua nouata & scribendi & dicendi forma. Vel est quædam arte nouata tum scribendi, tum dicendi ratio. Schemata etiam orationis lumina, exornationes, ac colores appellantur. Et Cicero colores Rhetoricos pro pigmentis Rhetoricis accipit, ac orationis ornamentis. Schema. Differunt Tropus & Schema.

Tropus porrò à Schemate in hoc diffidet, quòd in illo significatio mutatur: vt, Progenies viperarum, id est, maiorum interfectores ac homicidarum filij: in hoc verò nulla est significationis mutatio: vt, Tantæne animis cœlestibus iræ? Id tamen authores veluti quoque plurima vertunt. Et Fabius tum Tropum tum Figuram siue Schema frequenter in easdem coire sententias scribit. Nocentissimorum parentum, nocentissimi filij. Æneid. 1 lib. 9 c 1.

Sunt autem Tropi duplices, Dictionum videlicet & Orationum: Dictionum Tropos vocant, non quòd per se posita dictio, non in oratione, significatum mutet, sed quòd in oratione vnius soliùs dictionis significatus mutatur. Suntque Tropi dictionum octo.

TROPI DICTIONVM.

μεταφέρω Transfero. μεταφορὰ Translatio. Vox aliqua tribus rationibus transfertur. Fab. lib. 6. cap. 6.

Metaphora est, cùm vox à propria ac genuina significatione ad alienam, sed cognatam, transfertur. Tropus longè pulcherrimus: vt, Video pro intelligo, perspicio pro cognitum habeo, deuoro pro vinco ac perfero, suspicio pro admiror. Item si hominem odiosæ atque insulsæ loquacitatis, rudere aut blaterare dicas. Porrò vox à propria significatione ad aliã transfertur: Vel necessitatis causa: vt cum vites gemmare dicimus, sitire agros, fructus laborare, luxuriare segetes: Vel Emphaseos ac maioris significantiæ gratia, vt incensus ira, inflammatus cupiditate, lapsus errore: Vel denique ornatus causa: vt Lumen orationis, generis claritas, concionum procella, eloquentiæ flumina, fons ac seges gloriæ: & segetes fluctuant, id est, mouentur, &c.

2 *Synecdoche*, Συνεκδοχὴ. Intellectio, est quoties aliud ex
1 alio quocunque modo intelligitur. Vel cùm ex vno plura intelliguntur: vt, Romanus prælio victor, pro Romani
2 victores. Vel ex parte totum: vt mucro pro gladio, te-
3 ctum pro domo. Retróque: vt, Ingens à vertice pontus, id est, procella & vnda ponti: & fontémq; ignémq; ferebãt,
4 id est, partem fontanæ aquæ. Vel ex specie genus: vt Horatius, Iracundior Adriâ, pro quouis tempestuoso mari. Et Acheloia pocula, pro quouis fluuio scripsit Virgilius.
5 Vel cùm ex materia res confecta significatur: vt, Ferrum
6 pro gladio, abies & pinus pro naui. Vel ex præcedentibus sequẽtia: vt, Virgineam soluit zonam, id est, deuirginauit. Subdidit equo calcaria, id est, cucurrit. Breuiter, quoties

aliud

Est Tropus, a simili ad simile, et p adverbiu sim
aut adverbium Simile commode reddi potest:

Metonymia est habitus causæ ad effectum, subiecti ad adiunctum, vel ē contrā.
Metonymia causæ est vel efficientis, aut materiæ
Metonymia subiecti: vt cū locus pro ipsis incolis vsurpatur. quod in vrbe frequentissime deprehendet: sic etiam litigantium clientum ad vocati personas suas pro clientū personas vsurpant: cic: p̄ Cæcin: Cæcin: restituisse te dixerit nego me edicto Prætoris restitutum esse sic Cicero patronum aduocatum phs aduersæ alloquitur tanquam tibuitib id diceret Cæcinnæ:
Aliquando ni ēno verbo ꝛco metonymia datur: vt victoriæ ferocitatem exhibuisset, p̄ ferocem victoriā est metonymia subiecti, et ferocem victoriam quia facit victorem ferocem, est effectus ad efficiens: hæ pus: continuatio huius metonymia cū facit allegoriam:
Metonymia instrumenti vt lingua p̄ sermone.
Metonymia effecti ni Adiect: mors pallida, sub: vt scelus p̄ scelesti: verb: vt pallet p̄ timet.
Nec hīi plus cordis ꝛ. pudentiæ, sed minus oris si pudoreis mist: mēt: sub p̄ ordiant:

aliud ex alio intelligitur: vt, Vixerunt, id eſt, mortui ſunt, 7
Et nos quoque floruimus, id eſt, fœlices fuimus. Ita Cic.

3 *Metonymia*, Μετωνυμία, Tranſnominatio, eſt nominis pro nomine poſitio: cuius vis eſt, pro eo quod dicitur, cauſam propter quam dicitur, ponere. Hanc Rhetores Hypallagem vocant. Ea fit compluribus modis. Primò, cùm inuentorem pro re inuenta ponimus: vt, Ceres pro frumento, Bacchus pro vino, Venus pro libidine, Vulcanus pro igne, Neptunus pro mari, Mars pro bello, &c. Secundò, quoties continens pro eo quod continetur, vſurpamus: vt, epotos cados, Cœlo gratiſsimus amnis, id eſt, cœlitibus. Nunc pateras libate Ioui, Seculũ fœlix, &c. Tertiò, quando contentum pro continente accipitur: vt, 3
Vina coronant, Vicinus ardet, Eamus ad nos, Deuoremus hominem, Hunc tibi comedendum propino. De ſene guſtare, vbi dominus rei pro re ipſa ponitur. Quartò, 4
cum ex effectu efficiens intelligitur: vt, pallida mors frigus pigrum, mœſtus timor, audax iuuenta, Pallentes habitant morbi, triſtiſq; ſenecta, præceps ira, hilaris adoleſcentia, inconſultus amor, inuerecunda nox, audax vinum, &c. Quintò, cùm ducem pro his qui ſubſunt, ponimus: vt, Cæſus Hannibal. Sextò, quoties authorem pro 6
opere accipimus: vt, Virgilius venijt, Homerus diſtrahitur, Terentius emitur. Septimò, quando ſignum pro ſignato vſurpamus: vt, faſces & ſecures pro imperio conſulari, Sceptrum pro regno, gladius pro Magiſtratu. Octauò denique cùm facinus pro eo, qui illud deſignauit, accipimus: vt, Sacrilegium eſt deprehenſũ, pro Sacrilego. 8
In peculatum animaduerſum eſt, pro peculatore, &c.

4 *Antonomaſia*, Ἀντονομασία, eſt quæ alicui quaſi cognomen quoddam conueniens tradit. Ab Oratoribus Pronominatio dicitur. Hæc, teſte Cicerone, cognomine quodam extraneo demonſtrat id, quod ſuo nomine appellari non poteſt. Et Fab. Antonomaſia, inquit, eſt quæ aliud pro nomine ponit. Poëtis frequentiſſima: Oratoribus

toribus non item. Et fit sex rationibus. Primò, cùm patronymica propriorum loco ponuntur: vt, Pelides aut Æacides pro Achille, Priãides pro Hectore, aut certo Priami filio: Romulides pro designato Romano: & hæc variatio solùm poetis permissa est, quibus solis patronymicis in carmine vti permittitur. Secundò, fit per possessiua
2 quædam patria, idque Oratoribus conceditur: vt, Tyrinthius, pro Hercule, Cytherea aut Cypris, pro venere: Saturnius pro Ioue, Cynthia pro Diana, Cyllenius, pro
3 Mercurio. Tertiò, fieri solet per Epitheton, & hac vt è sequentibus, tam Oratores quam Poëtæ ex æquo liberè vtuntur. Virg. Æneid. 4. Thalamo quæ fixo reliquit Impius, pro Ænea, Pœnus pro Hannibale, Senex pro persona heri, apud Terentium. Quartò, solita est fieri, quoties
4 Appellatiuum studij, artis, officijque aut dignitatis, proprij nominis locum obtinet: vt, Philosophus pro Aristotele, Poëta pro Virgilio, Apostolus pro Paulo, Seruator
5 pro Christo, Imperator pro Carolo. Quintò, cùm propria nomina pro appellatiuis affectum aliquem siue proprietatem proprijs inhærentem significantibus vsurpamus: vt, Verres pro fure, Sardanapalus pro molli, Crœsus pro diuite ac locuplete, Phalaris pro crudeli, Cato pro seuero ac tetrico, Crassus pro agelasto, Venus pro formosa, Diana pro intacta, Irus pro paupere, Aristides pro iusto ac incorrupto, Epicurus pro voluptati dedito, &c. Sextò, cùm nomina gentium siue nationum pro at-
6 tributis ipsarum ponimus: vt, cùm Pœnus pro perfido accipitur, Scytha pro aspero ac inhumano, Cretensis pro vano ac mẽdaci, Sybarita pro luxui dedito siue fastuoso, Pigmæus pro breui, Gallus pro libidinoso, Car pro vili milite, &c.

5 *Onomotopœia*, Ὀνοματοποιία. Nominis confictio, est nouarum vocum affictio ad imitationem soni, quem significare debent. Nouis enim rebus noua nomina concessum est indere: vt, Clangórque tubarum, apud Virgil. Taratantara,

11
ória hæc ad Synecdoche reducunt alij:

minnabu,um vicetur dictum a gonitu

1. Hinc movet Euphates, illene Geemania dicta: Euphra
denotat Mesopotamiã, p metonymiã adiunct vel
cdoché manibꝰ; mesopotamia denotat incolas p met:
incolæ denotant vniversũ ciuitatis populum p ſ:
pri

tantara, pro cantu tubæ, Sibilus, murmur, tinnitus, mugitus, bombarda, Sconieta, vel vt alij, Sclopeta, an halfe hacke: vnde milites sclopetarij, vt plerique Hispani, Germani, Itali & Ianizeri Turcarum imperatoris satellites siue laterrani. Breuiter, illa omnia vocubula, quæ significandæ alicuius rei gratia, pro tempore ac rei necessitate, apertè fingimus. Hac in re in consilium sunt adhibendi, Cicero, Horatius, D Erasmus, & Iacobus Iodouicus Rhemensis, lib. de Elect. ac verborum collocat. 1. ca. 18. Tropus propriè non est, nam significatio non mutatur, sed rei anonymæ nouum nomen inditur, hocque modo à Catachrêsi separatur. ἀκυρολογία εἰδέναι δε sic sperare pro ce 9:

6 *Catachresis*, Κατάχρησις, Abusio, est quæ non habentibus nomen suum accommodat, quod in proximo est: vt Piscina in qua lauamus, nec pisces insunt. Vires hominis breues, longum consilium, minutus animus, pro paruo, Pyxides cuiuscunque sint materiæ. Differt autem à Metaphora, quòd hæc proprium alieno commutet, illa verò vbi nomen omnino deest. Poëtæ tamen solent etiam abusiuè in his rebus, quibus nomina sua sunt, vicinis potius vti, quod in soluta oratione rarenter vsu venit.

7 *Metalépsis*, Μετάλημψις, Transumptio, est vbi gradatim itur ad id, quod ostenditur. Vel est, cùm aliqua vox aliud à proprietate significationis suæ, ex his quæ præcesserunt, denotat. Tropus Poëticus, ac omnino rarus. Virg. Eclog. 1. Idem Æneid. 5 Septima post Troiæ excidium iã vertitur æstas.

Post aliquot mea regna videns mirabar aristas.

Hic per aristas spicas, per spicas messes, per messes æstates, per æstates annos accipimus. Idem Ænei. 1. Speluncis abdidit atris: nigræ enim intelliguntur, ex nigris tenebrosæ, & per hoc in præceps profundæ. Est & hæc Metalepseos natura, vt inter id quod transfertur, sit medius quidã gradus, nihil ipse significans, sed prębens transitũ. Differt ab hjs Tropis finitimis, quòd veluti per gradus quosdã ad id, quod significare volumus, progreditur.

8 *Acy-*

8 *Acyrologia*, Ἀκυρολογία, siue ἄκυρον, est cùm vox haud quaquam propriæ significationis orationi intercalatur. Terent. Nam quod tu speras, propulsabo facilè. Speras pro times. Virg. Æneid 4. Hunc ego si potui tantum sperare dolorem, id est, timere. Iuuenalis. Sat. 4 Iam quartanam sperantibus ægris, id est timentibus. Et Græci in hunc modũ ἐλπίζειν vsurpant: Herod. lib. 8 αἰπόλως γὰρ ἔχειν ἔλπιζον, id est, ὑποδύεται.

9 *Antiphrasis*, Ἀντίφρασις est dictio è contrario significans. Vel est vnius verbi ironia: vt, Bellum, quod minimè bonum: Lucus, quòd minimè luceat. (Sunt tamen qui à luce sacrificiorum dictum putant:) & Parcæ, quòd minimè parcant, vel quasi partæ.

Aug. Dathus refragatur. Mancinel.

Antiphrasis vox est signans contraria dicto.

Est etiam Tropus orationis, de quo infrà.

TROPI ORATIONVM.

ALLEGORIA, Inuersio, permutatio, est cùm aliud verbis, aliud sensu proponitur, vel cùm ex verbis propositis, longè alius sensus, interim etiam contrarius, colligitur. Continet illa plures translationes & continuas, ob idq; perpetua etiam Metaphora dicta. Hæc ex sententijs prouerbialibus ac item prouerbijs crebrò confieri solet: vt, Pedem conferre, pro eo quod est, argumentis concertare: Iugulum petere, pro eo quod est, caput causæ aggredi. The principall of the causes to take hold of Tragulam inijcere, id est, fallaciem intendere. Flamma fumo est proxima, quo significatur tempestiuiùs cauendum esse periculum. Vino vendibili suspensa hedera nihil est opus, id est, res præclaræ exoticam commendationem haud desiderant. Virgil.

Claudite iam riuos pueri, sat prata biberunt.

Porrò Allegoria nec totam occupat orationem, nec apertis

Item erat macula, aurea [illegible] aversa et splendida
sic mirari et promittere ei contra:

Dixit rana coram [illegible] videat circum colum
macularum [illegible]

pertis permiſta eſt. Horatius totam ac impermiſtã poſuit.

O nauis, referent in mare te noui
Fluctus? ô quid agis? fortiter occupa
Portum, &c. In qua nauim, pro repub. Fluctuum tempeſtates pro bellis ciuilibus: Portum, pro pace atque cõcordia intelligi voluit. Ita Virg. Georg. 2. Lib. 1. Ode 14

Sed nos immenſum ſpatijs confecimus æquor:
Et iam tempus equũm fumantia ſoluere colla.

Hoc eſt, ergo iam immenſam abſolui materiam, & quæ hîc tractanda erant, carmine complexus ſum: nunc conuenit colophonem addere, ac id carmen finire. Commiſtæ Allegoriæ exemplum eſt hoc Ciceronianum: Equidẽ cæteras tempeſtates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum ſemper Miloni putaui eſſe ſubeundas. Hîc Allegoriam commiſcuit, quando fluctibus concionum dixit. Conſimile eſt illud, Matth. tertio, Cuius ventilabrum in manu ipſius, & purgabit aream ſuam, & colliget triticum in horreum ſuum, paleas autem igni comburet inextinguibili. Hîc permiſta eſt Allegoria; cum dicitur igni inextinguibili. Eſt autem ſenſus, Chriſtum iudiciaria poteſtate, quam à Patre accepit, in extremo iudicio pios ſegregaturum ab impijs, & illos quidem æterna donare beatitudine, hos verò æternis cruciatibus addicere. Illud in Allegoria in primis obſeruandum eſt, vt ex quo genere cœperis tranſlationis, hoc deſinas. Ne cùm initium à tempeſtate ſumpſeris, incendio, aut ruina finias. Fab. lib. 8. cap. 6.

Et cùm amphora cœpit inſtitui, cur vrceus exit?

Huius octo ſũt ſpecies: Ænigma, Paroemia, Ironia, Sarcaſmus, Aſtiſmus, Mycteriſmus, Antiphraſis, & Charientiſmus. Additur Hyperbole. Horat. in Arte.

Ænigma Αἴνιγμα, eſt obſcura Allegoria, & verborum inuolucris tecta, atq; velata ſententia. Mancin.

Obſcurus ſermo, cunctis Ænigma vocatur.

Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me.

Ex

Ex aqua enim glacies cõcreſcit,& rurſus in aquam reſoluitur. Differt ab Allegoria, quòd hæc ſit euidens, clara & manifeſta: illa ſubobſcura ac latens oratio. Neque id vitio verti debet,ſi doctis,vel loquaris vel ſcribas:imò ne tum quidem, ſi vulgo:vt ſint,quæ veſtigare ac diſcere cogantur. Apud Prophetas, & in Apocalypſi plura ſunt Ænigmata: ac item apud Ethnicos ſcriptores deorum ac Sibyllarum oracula.

2 *Paræmia*, Παροιμία, eſt celebre dictum,ſcita quapiam nouitate inſigne. Ad quam duo requiruntur: Alterum quidem, vt dictum ſit celebre,vulgóque iactatum: Vnde & apud Græcos id nominis vſurpat, quòd paſſim per ora hominum obambulet: & apud Latinos Adagium, quaſi dicas circum agium,authore Varrone: Et Prouerbium, quaſi verbum omnium commune,hoc eſt,ſententia,quæ in omnium ore verſatur. Alterum verò vt ſcitum ſit,hoc eſt,aliqua ceu nota à communi ſermone diſcernatur, & antiquitate pariter ac eruditione commendetur. In his colligendis D. Eraſmus, vir de bonis literis meritiſſimus, non abſque ſudore ſummam nauauit operam. Et Polydorus Virg. Vrbinus,præter aliquot Ethnicorum prouerbia, ſacra etiam collegit.

3 *Ironia*, Εἰρωνεία, illuſio, eſt quæ vno aut pluribus verbis contrarium oſtendit quod dicitur. Mancin.

Ironia quidem mihi diſſimulatio fertur,
Ironia quidem multis illuſio habetur,
Quum ſermo oſtendit recto cantraria ſenſu.

Hæc aut rei natura,aut riſu,ſiue pronuntiatione,aut perſona ſignificatur: nec difficulter ex orationis circumſtantijs eius ratio colligi poteſt. Virg. Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis Tuque puerque tuus. Idem Scilicet is ſuperis labor eſt. Terent. Id populus curat ſcilicet. Cic. in Ver. Act. 7. Quid ais bone cuſtos,defenſorq; prouinciæ? Caſtimonia Hippolytum præ ſe fert;de adultero. Agit Aeneam re ipſa;de eo qui patrem violauit. Amos

mos 4. Venite ad Bethel & impiè agite: Ad Galgalam, & multiplicate præuaricationem. I nunc & rebus nimium confide ſecundis. I nunc & in ſortuna ſpem pone tuam. Virg. Aen 7.

I nunc, ingratis offer te irriſe periclis,
Tyrrhenas, i, ſterne acies, tege pace Latinos.

Goe alwap, and doe it moze. Ac cæteræ huius farinæ figuratæ inſſiones, ſiue permiſſiones, quæ vim prohibendi habent. Porrò, Scilicet, & verò, particulæ, Ironiæ cum primis aptæ videntur.

4 *Sarcaſmus*, Σαρκασμὸς, eſt plena odio atque hoſtilis irriſio: vel iocus cum amaritudine. **So as the cat plaies with the mouſe. The play of the cat is the death of the mouſe.** Mancinellus.

Sarcaſmos plena eſtodio deriſio ab hoſte.

Ἀπὸ τῦ σαρκάζω, amarulentè rideo.

Virg. Æneï. 2. Pyrrhus ad Priamum:

Referes ergo hæc, & nuntius ibis
Pelidæ genitori, illi mea triſtia facta. Idem Æn. 12.
En agros, & quam bello Troiane petiſti
Heſperiam metire iacens.

5 *Aſteiſmos*, Aſtyſmus, Aſtiſmus, ἀστεισμὸς, Vrbanitas, eſt longè petitus iocus, adeóque inexpectatus de re aliqua abſurda: vel eſt faceta ioci vrbanitas ruſtica ſimplicitate carens. Facetum & ciuile ſcomma. Virg. Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui: id eſt, qui Bauium malum Poëtam amplectitur, exoſculetur etiam Meuium, peiorem Poëtam. Idem. Atq; idem iungat vulpes & mulgeat hircos: hoc eſt, abſurda & quæ contra naturam ſunt, faciat. Mancin.

Effertur quicquid ſine ruſticitate facetè,
Ipſa figura cuidem Aſtiſmos dicitur eſſe.

6 *Myſteriſmus*, μυκτηρισμὸς, eſt ſimulata quidem, ſed nõ latens deriſio: quod Perſius Naſo ſuſpendere vocat. & in geſtu magis quàm verbis oſtenditur: fitqúe cùm naſo

ſuſpenſo

ſuſpenſo quippiam faſtidimus: μυκτὴρ enim (authore Iulio Polluce) naſum ſignificat. Quicquid igitur contractis irridendo naribus dicitur, Mycteriſmus eſt.

Diaſyrmus, διασυρμὸς, eſt Eleuatio vel Irriſio, quando videlicet ludentes, quæ ab aduerſarijs dicuntur diſſoluimus: qualis eſt in Mureniana totus ille in Sulpitium locus de iure ciuili.

7 *Antiphraſis*, ἀντίφρασις, eſt cùm vox aut ſententia aliqua per contrarium intelligitur: vt bellum quod minimè bonum ſit. Mancinellus:

Antiphraſis vox eſt ſignans contraria dicto.
Dicimus hinc Parcas, quia nulli parcere norunt.

Differt ab Ironia, teſte Diomede, quòd hæc pronuntiando mutat affectum & ſignificationem, illa verò diuerſitatem perſonæ ſiue rei denotat, vt ſi quis Nanum vocet Atlantem: **It is a handſome man, if hee ſtood vpon three feete, hee would looke into the pot**: Aut ſi puellam Æthiope atriorem, percandidam dicas: Acutum ingenium, pro ſtolido ac hebeti.

8 *Charientiſmus*, χαριεντισμὸς, eſt cùm dura mollioribus verbis mitigamus, vel cùm duriora re ipſa gratioſis verbis molliuntur.

Terentius:

Bona verba quæſo, cùm piſtrinum deprecaretur Dauus.

Quod Plato lib. de Rep. 1. εὐφημεῖν, i. bene ominata dicere dixit. Deducitur autẽ a verbo depoſitiuo χαριεντίζομαι, id eſt, facilè cauillor, lepida vrbanitate ac ſalibus vtor. Vtimur hoc tropo præcipuè, vbi ira commotum ac perturbatum verbis lenire percupimus. Et hactenus de Allegoriæ ſpecieb⁹.

Hyperbole, ὑπερβολὴ, eſt cùm dictio vel oratio fidem excedens augendi minuendiue gratia ponitur.

Mancinellus:

Tranſcenſus veri manifeſtus Hyperbola fiet.
Superlatio, dementiens ſuperiecto, Eminentia, & Exceſſus

ceſſus etiam appellata: vt Fulminis ocyor alis. Vix oſsibus hærent. Hæc non adhibetur, vt credatur quod dicimus, ſed vt ex eo quod incredibile eſt, credatur penè incredibile. Eſt autem omnis Hyperbole vltra fidem, non tamen eſſe debet vltra modum: **That they lift it not too hie,** alioqui non alia magis via in κακοζηλίαν peruenire ſolet. Mentitur vtique Hyperbole, non tamenita, vt mẽdacio fallere velit, ſed vt illo ad verum peruẽiamus. Breuiter, plus dicit Hyperbole quàm res habet, attamẽ quod verum eſt, ex falſo intelligitur: vt, hic vel ſaxa ſua loquacitate rumpere poſſit. Cœlum digito attingere. Cœlum territat armis. Feritq; ad ſydera fluctus. Riſu diffluo. Eſt autẽ Hyperbole Adagiorum generi admodũ peculiaris, effertúrq; vel per denominationem, vt alter Ariſtarchus: Vel per comparationem, vt noſter hic Phalaris: Vel per ſimilitudinẽ, vt Stentore clamoſior: Vel per Epitheton, vt Neſtoria eloquentia. Sunt porrò nouem ceu fontes, à quibus hic Tropus duci poteſt. Primò ab ipſa re, quum videlicet res pro perſona vſurpatur, vt quoties hominem ſceleſtum *Scelus* appellamus: Peſtilentem, Peſtem: Tenebrionem, Tenebras: Carcere dignum, Carcerem. Poteſt & vnumquódque per comparationem efferri, vt ipſa nequitia nequior, cæcitate cæcior, ipſa ſiti ſiticuloſior, nõ modo probus, imo ipſa probitas, deformitate deformior. Secundò, à rebus trahitur ſimilibus, vt Melle dulcior, pice nigrior, niue candidior, oleo tranquillior, plũbo ſtupidior, ſpõgia bibacior, labyrintho inuolutior. Tertiò, ab animãtibus, vt Muliere loquacior, ceruo viuacior, luſcinia vocalior, dipſide nocentior, limace tardior, ſcropha fœcũdior alba, &c. Quartò, ducuntur à perſonis falſorũ deorũ, vt Diana intactior, Venere formoſior, Mercurio facundior, Momo mordacior, Vertumno incõſtantior, Proteo mutabilior. Empuſa magis varius. Quintò, à perſonis fabuloſis, vt Tantalo ſitientior, Cyclope immanior, Neſtore facundior, Vlyſſe doloſior, Penelope caſtior, Niobe

Hyperbole quatuor modis effertur.

1

2

3

4

5

fœcundior, Gryllo ſtultior: quorum hodie infinitus eſt numerus, qui inuentis frugibus malunt arrodere glandes. 6 Sextò a perſonis Comœdiarum, vt Thraſone Terentiano glorioſior, Demea iurgioſior, Mitione facilior, Gnathone adulantior, Phormione confidentior, Dauo verſutior, 7 Thaide blandior. Septimò, a perſonis hiſtoriarum, vt Zoilo inuidentior, Catone ſeuerior, Timone inhumanior, Phalaride crudelior, Crœſo ditior, Codro pauperior, Fabio cunctantior, Socrate patientior, Milone robuſtior, 8 Curione obluioſior, &c. Octauò à gentibus ſumitur, vt Pœno perfidior, Scytha aſperior, Cretẽſi mẽdacior, Pigmæo breuior, Mileſijs effœminatior, Care vilior, 9 Scythotauris inhoſpitalior. Nonò denique ducitur ab officijs, vt Lenone magis periurius, Cinædo mollior, Milite glorioſior, Areopagita triſtior, Tyranno violentior, Carnifice immanior, &c. Differt porro ab amplificatione Hyperbole, quòd hæc naturæ modum excedit, illa intra fidei limites conſiſtit.

Annotatiuncula.

Superiores Tropi, nempe Allegoria, Parœmia, Ironia, ad orationem etiam exornandam haud mediocriter faciunt: Parœmia item confirmandi gratia non rarò adhibetur. Vſum porrò iſtorũ omniũ Troporũ, præter Fabiũ D. Eraſ. in commentarijs de duplici copia abundè docet.

De Schematibvs.

Schema quid ſit ſuprà in fronte definitũ eſt. Schemata ſunt dulplicia, Grammatica ſcilicet, & Rhetorica. Gramatica & ipſa bifariam diducuntur: nam alia Orthographica, alia Syntactica. De quibus ordine dicam.

Orthographica Schemata dicuntur, quòd circa dictionum literas ac ſyllabas verſentur. Hæc in Regno ſolum Poëtico. Commanipulones abſque ſtipendio (quod Mecænates è logiſterijs ſeſe ſubducentes, nuſquam apparent) ſub Penæ vexillis militare coguntur, ſub Imperatore

tore cui nomen Metaplasmus.

Est autem Metaplasmus, Transformatio quædam literarum vel syllabarum in dictionibus, præter loquendi formulam, aut necessitatis aut ornatus gratia in carmine figurata. Μεταπλάττω Græcè, Latinè transformo vertitur. Cuius species numero quatuordecim à Grammaticis recensentur, quæ quidem in quinque classes digeruntur. In quarum prima sunt Prosthesis, Aphæresis, Syncope, Epenthesis, Apocope, Paragoge, siue Proparalepsis: quarum Prosthesis, Epenthesis, & Paragoge literam vel syllabam in dictionis tum initio, tum medio, tum fine addunt: reliquæ tres auferunt. In secunda sunt Systole et Diastole, quæ syllabarum quantitatem commutant. In tertia sunt Ecthlipsis & Synalœpha, quæ vocalem inter scandendũ extrudunt. In quarta Synæresis est & Diæresis, quarum hęc syllabam in carmine diducit, illa verò contrahit. In quinta denique classe regnant Antithesis & Metathesis, quæ literarum vel syllabarum stationem transponi iubent.

1 *Prosthesis*, Appositio, est literæ, vel syllabæ in fronte dictionis additio. Literæ: vt Turno gnatoque patrique. Syllabæ, vt Concitum tetuli gradum.

2 *Aphæresis*, est literæ vel syllabæ à fronte dictionis ablatio. Literæ: vt ruit omnia latè, pro eruit. Syllabæ: Virg. Pone metum Cytherea. Idem Æneid. 6. Discite iustitiam moniti et non temnere Diuos. ἀφαίρεσις. Æneid. 1.

Mancinellus.

Prosthesis apponit caput, id quod Aphæresis aufert.

3 *Epenthesis*, Interpositio, est cùm litera aut syllaba dictioni interseritur. Litera: vt, Hac casti maneant in religione nepotes. Syllaba: vt, Mauortis in antro. Mitis Germanis est Carolus Induperator. Ἐπένθεσις. Æneid. 1.

4 *Syncope*, est cùm litera vel syllaba è dictionis medio tollitur. Litera: Virg Manet alta mente repostum Iudicium Paridis. Idem: Pocula porrigite dextris. Syl Συγκοπή. Æneid. 1.

laba: Quales tunc epulas ipſum glutiſſe putamus. Ita commôrit, pro commouerit. Mancinellus:
Syncopa de medio tollit, quod Epentheſis infert.

Παραγωγὴ. 5 *Paragoge*, Diductio, eſt literæ, vel ſyllabæ in fine dictionis additio. Literæ, vt apud Plautum, hoſtis pro hoſti: Syllabæ, vt, ſumma dominarier arce. Prudentius: Ardentique iubet veſtirier oſtro.

Illud obiter obſerues, infinitum paſſiuum in i, extendi, ſed Poëtæ carminis gratia et adijcientes eundem corripiunt.

Ἀποκοπὴ. *Apocope*, eſt literæ aut ſyllabæ in calce dictionis abſciſio. Literæ, Virg. Troias relliquias Danaûm atque immitis Achilli, pro Achillis, ad vitandum, vt credo, ſibilum: ſubeſt & alia ratio, de qua in Grammatica Græca. Idem Aeneid. 1. Ecloga. 1. Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculi. poteſt tamen & Synæreſis eſſe.
Syllabæ. Ouid. Adfuit & feſtis tempora vinctus
Hymen; pro Hymenæus. Mancinellus:
Aufert Apocope finem, quem dat Paragoge.
Proparalepſis item.

Syſtole, Συστολὴ, eſt cùm longa ſyllaba contra artis rationem corripitur, metri neceſſitate cogente. Æneid. 1. Connubio iungam ſtabili, propriámque dicabo. Vbi, nu contra eius naturam corripitur. Idem porrò Aeneid 3. legem ſequutus ſcripſit, Hectoris Andromache Pyrrhin connubia ſeruas? Et alibi, Dedimus connubia noſtra.

Diaſtole, Διαστολὴ, eſt extenſio ſyllabæ natura contractæ, Ectaſis etiam dicta. Virg Aeneid. 1. Exercet Diana choros: vbi, Di, contra legem producitur. Mancinellus:
Syſtola productam breuiare, Diaſtola fertur
Ducere correptam, ſic Ectaſis efficit ipſa.

Συναλοιφὴ. *Synalœpha*, eſt cùm vocalis ante alteram nulla interueniente conſona in calce dictionis inter modulandum expungitur. Ouid.
Ludunt formoſæ, caſta eſt quam nemo rogauit.

Vel

Quæ te fama reficiendæ mihi ovis hyppylæ:

Vel eſt, cùm duabus vocalibus concurrentibus, prior quaſi deletur: vt, Atque ea diuerſa penitus dum parte geruntur. Vide Grammaticam.

Ecthlipſis, ἔκθλιψις, eſt conſonantis m, cum vocali priore in numerando ſuppreſſio. Virgil. Aeneid 3. Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum. Idem Aeneid. 1. Multum ille & terris iactatus & alto.

Mancinellus:

Ecthlipſis necat m, vocalem aufert Synalœpha.

Synæreſis, Συναίρεσις, eſt quoties ex duabus ſyllabis inter modulandum compactis, fit vna. Hæc etiam Epiſynalœpha dicitur. Virgilius Aenei. 6. Fixerit æripedem ceruam, pro aêripedem. Mancinellus: Syllaba de binis facta extat Epiſynalœpha,

Hæc eadem fertur mihi nempe ſynæreſis eſſe. Virgil. Georg. 4 Seu lento fuerint aluearia vimine texta.

Vide proſodiam Grammaticæ.

Diæreſis, Διαίρεσις, eſt vbi ex diſſecta ſyllaba duæ fiunt: Ouidius: Debuerant fuſos euoluiſſe ſuos.

Cætera in Grammatica. Mancinellus:

Dicitur in binas ſeparare Diæreſis vnam.

Aeneid. 9 Diues equûm, diues pictâi veſtis & auri.

Antitheſis (aptius ἀντίστοιχον Antiſtœchon) eſt literæ commutatio, hoc eſt, cùm litera pro litera ponitur. Virg. Aeneid 1 Olli ſubridens hominum ſator atque deorum, pro illi. Mancinellus:

Dicitur Antitheſis, ſi litera ponitur vna,
Ponere cùm debes aliam, ſic dicimus olli:
Hæc Antiſtœchon poterit quoque dicier aptè.

Metatheſis, μετάθεσις, eſt cùm literæ in dictione tranſponuntur. Verſus:

Litera poſita transfertúrque Metatheſis eſſe: Aeneid. 10. Nam tibi Thymbre caput Euandrius abſtulit enſis: ſi à recto Thymber: ſin à nominatiuo Thymbrus, Metatheſis non eſt. Inſpicito Grammaticam in redundãtibus recto.

Obſeruatio.

Græci Poetæ in his figuris Latinis multò ſunt audaciores, illorum enim vſus apud illos frequentiſsimus eſt, & præcipuè in lingua Ionica, qua Homerus ſcripſit. Sunt & variæ Synelœphes formę, quæ Atticis & in ſoluta oratione apprimé familiares ſunt: queis de omnibus præter cæteros, conſulendi ſunt Conſtantinus Laſcaris Bizantinus, Theodorus Gaza lib. Grammaticæ introductionis 4. in fronte. Hadrianus Amerotius Sueſſionenſis in calce compendij Grammaticæ ſuæ, & Tripho Grammaticus, quem quatenus ad hoc negotium attinet D. Glarianus (Poeta haud incelebris, Græcæ & Latinæ linguæ apprimè doctus, veterum hiſtoriarum vt ita dicam, helluo, καὶ μαθήσεων ἐμπειρότατος) Grammaticæ Vrbani Minoricæ per Typographum annecti curauit.

SCHEMATA GRAMMATICA Syntaxeos.

SCHEMATA *Grammatica*, ſyntactica ſunt quæ nouatæ ac figuratæ conſtructioni deſeruiunt. Eſt autem figurata conſtructio, cui aliquid deeſt, vel redundat, vel loco ſuo abeſt, vel immutatur: non tamen ſine ſummorum in Romana lingua virorum exemplo. Hinc facilè colligitur, huius Syntaxeos Schemata vel defectum indicare, vt Eclipſis, Apoſiopeſis, Zeugma, Syllepſis, Prolepſis, & Anapodoton: vel redundantiam præ ſe ferre, vt Pleonaſmus, et ſub eo Parelcon, Periſſologia, Macrologia & Epanalepſis: vel ordinem interruptum oſtendere, vt Hyperbaton, & quę ſub eo militant Anaſtrophe, Hyſterologia, Tmeſis, Synchyſis, & parentheſis: vel denique immutationem quandam arguere, vt Enallage caſus, quæ & Antiptoſis, generis, item numerorum, modorum ac temporum commutatio. Hæc omnia quia in Grammatica noſtra innouata Syntaxi, ſatis, vt arbitror, tractata ſunt,

Figurata conſtructio.

sunt, hîc breuibus absoluere placuit. Adijciuntur præter hæc & plura alia, quæ partim inter tropos, partim inter figuras connumerari queant. Sunt præterea hæc, quæ ab oratoribus inter Rhetorica Schemata vsurpantur.

Eclipsis, ἔκλειψις, id est, dictionis siue orationis ad legitimam constructionem necessariæ in sensu defectus. In hac dictio vel clausula aut consuetudine authorum, id est, eruditorum consensu, subaudiri solet, aut ex cæteris verbis in orationis clausula expressis, certa est.

Mancinellus:

Dicitur vnius verbi defectus Eclipsis.

Vt, Ita ferunt, aiunt, dicunt, scilicet homines. Homo illiteratus quidem, quem tamen multis non postponas, pro talis vel is, cui vel quem, Authore Laurentio. Memini videre, scilicet me. Sed de his hactenus, scilicet dictum est Quid multa? & ne multa scilicet dicam. Tu soluendo non es, scilicet sufficiens. Qui oneri ferundo essent, scilicet potentes vel simile aliquid, quod sensui quadret. Pridie Calendas, scilicet antè. Terent. Magis id adeò, mihi vt incommodet. pro ob, siue propter id. Virg. Projice tela manu, pro è vel à manu. Horat. Ad vnguem factus homo, scilicet vsq;. Virg. Æneid. 9. Ferte citi pedem, date vela, impellite remos, scilicet, & ite. Plin. Hominemne Romanum tam Græcè loqui? scilicet, verũ ne est? vel verè ne est? aut simile quippiam. Hanc coniunctionem Eclipsin, Asyndeton siue Dialyton vocant.

Aposiopesis, ἀποσιώπησις, est cùm ex affectu, aut alicuius interuentu, aut etiam transitus ad aliud gratia, orationis pars aliqua præciditur. Cicero Reticentiam & præcisionem vocat. Celsus Obticentiã, nonnulli interruptionẽ. Ex effectu quidem, vel iræ: Virg. Æneid. 1. Quos ego, sed motos præstat componere fluctus, scilicet, Quos tam audaces puniam Vel pudoris. Idem Eclog. 3. Nouimus & qui te transuersa tuentibus hircis. Vel timoris, siue religionis: Cicero pro Milone: De nostro enim

omnium, non audeo totum dicere. Vel cùm per ſeipſum quis tacet, ac aliud tranſit. Terent. Adel. Scen. 2. Act. 1. Ecce autem de integro, niſi quicquid eſt, volo ſcire, ſcilicet, niſi quia, & eſt ſenſus, Niſi quia non temere credo, & volo ſcire quicquid eſt. Virg. Aeneid. 2. Nec requieuit enim, donec Calchanta miniſtro. Sed quid ego hæc autem? ſcilicet Vlyſſes deſtinat me aræ. Vel tacet, nec vltra loquitur. Ter. Adelph. eadem Scena eiuſdem Actus: Iam ſi verbum vllum poſthac. Vel alterius interuentu perſonæ obmuteſcit. Idem Phor. Scena. 8. Act. 5. Demiphonem, ſi eſt domi, viſam, vt quod Demipho. Nos ad te ibamus Phormio.

Zeugma, Ζεῦγμα, eſt quando in ſimilibus clauſulis commune aliquid in vna poſitum, in alijs non mutatum deſideratur. Mancinellus:

Cùm plures ſenſus verbo concludimus vno,
Fit Zeugma, à nobis adiunctio dicitur eſſe:

Vt, non locus virum, ſed vir locum honeſtat. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Aut ætate forma defloreſcit, aut morbo. Tanti nominis erat, quanti quiſquam. Tantum habet agri, quantũ ciuis quiſquam. Facit aptè, qualiter ſemper. Studet impensè, quãtoperè nullus. Vel quod certò ſcis, vel nihil eſt loquendum. Porrò Zeugma tripliciter variatur. Primò, ab eo quod detrahitur, & hoc fit tribus modis. Secundò, à loco vnde trahitur, vnde triplicem nomenclaturam ſumit. Nam aut Prozeugma dicitur, cùm videlicet commune illud in fronte clauſularum ponitur: aut Meſozeugma, vbi commune medium clauſularum locum occupat: aut Hypozeugma appellatur, quòd commune illud poſtremæ clauſulæ in calce annectitur. Tertiò, variatur à particulis, quæ clauſulas committunt, quæ tribus orationis partib. Nomine ſcilicet, Aduerbio, & Coniunctione continentur. Conſule Grammaticam.

Syllepſis, Σύλληψις, eſt cum in diſſimilibus clauſulis commune

mune aliquid quod in vna ponitur, mutatum aliquatenus in alia deſideratur. Mancinellus:
Syllepſis ſiue & conceptio tripliciter fit:
Et genere & numero, & perſona, indignius autem
Hic deducendum eſt ad dignius, optime Lector.
Fit autem hæc per partes orationis, ac earundem accidentia. Per partes quidem, modò cum earum ſignificatio eſt varianda, modò aliter. Per accidentia verò, vbi quod ſubauditur, genere, perſona, numero, caſu, modo, & tempore, ſi adhibeatur, eſt mutandum. Exempla Syllepſeos generum. Singulariter. Terent. And. Scena. 1. Act. 2. Vtinam aut hic ſurdus, aut hæc muta facta ſit. Nulla virgo eſt dicenda, vel mente corrupta vel corpore. Pluraliter. Terent. And. Act. 6. Scena 3. Domus, vxor, liberi inuenti, inuito patre. Virg. Cæſóſque reportant, Almonem puerum, fœdatique ora Galeſi. Ouid. Ilia cum Lauſo de Numitore ſati. Exempla Syllepſis perſonarũ: Singulariter. Cicer. Et penè ille timore, ego riſu corrui. Idem: Ego illum de ſuo regno, ille me de noſtra Rep. percontatus eſt. Pluraliter: Terent. Adel. Hæc ſi neque ego, neque tu fecimus, non ſiuit egeſtas facere nos. Virg. Spolia ampla refertis. Tuq; pueriq; tuus. Cicero: ſi tu & Tullia lux noſtra valetis, ego & ſuauiſſimus Cicero valemus. Ego cũ vxore parùm bellè viuimus. Tu cum Andromache tua ſtrenuè certatis. Exempla Syllepſis numerorum. Singular. Vir. Æneid. 1. Hic illius arma, hic currus fuit. Idem: Socijs & rege recepto. Pluraliter: Diſcipuli & præceptor ceſſant. Virg. Sunt nobis mitia poma, Caſtaneæ molles & preſſi copia lactis. Exempla de Syllepſi modorum. Et ſtudes & hortor ne deſiſtas, ſcilicet ſtudere. Nec tu faceres, nec ego te permitterem, ſcilicet facere. Ter. Andr. Act. 3 Scen. 2. Itáne tandem idoneus tibi videor, quem tam apertè fallere incipas dolis? Saltem accuratè, vt metui videar, ſcilicet, fallere inciperes. De Syllepſi temporum: Cùm te ante virum oſtendiſti, tum hîc vel maximè:

maxime: ſcilicet,oſtendis. Longè nunc doctior eſt,quàm olim, ſcilicet fuit. De Syllepſi per partes: Iuſtinus lib. 11. Prouolutæ deinde genibus Alexandri non mortem, ſed vt Darij corpus ſepeliant, dilationem mortis deprecantur. Ibi deprecor in priore clauſula pro precando auerſor, in poſteriore pro valde precor ponitur. Idem lib. 3 in fronte: Ita egregius adoleſcens & cædem patris, & necem fratris, & ſe ab inſidijs Artabani vindicauit. Hîc vindico, priori loco, pro vlciſcor: poſt, pro libero accipitur: Virg. Aen. 2. Sacra manu victoſq; deos, paruũq; nepotẽ ipſe trahit. Ibi & voce & ſignificatione, diuerſũ eſt ſubaudiendũ, ſcilicet deos & ſacra geſtabat, nepotẽ trahebat.

Prolepſis, προλημψις, eſt cùm generale quoddam præcedit, quod inde in partes diducitur. Virg. Conuenimus ambo, Tu calamos inflare leues, ego dicere verſus. Præſumptio Latinè dicitur. Aquilæ volant, hæc ab oriente, illa ab occidente. Milites Cæſariani cepêre Turcas, alius integros alius ſaucios. Virgil.

Interea reges, ingente mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, bigis it Turnus in albis,
Hinc pater Aeneas Romanæ ſtirpis origo,
Ex iuxtà Aſcanius magnæ ſpes altera Romę,
Procedunt caſtris. Prolepſeos implicitæ, quam vocant exempla. Sal. Cœpere ſe quiſq; magis extollere. Ter. Ad. Act. 4. Scen. 4. Aperite aliquis actutũ oſtium, ſcilicet, aliquis aperiat. Idem in eadem, Curemus æquam vterque partem, ſcilicet, tu alterum, ego verò alterum curabo.

Pleonaſmus, πλεονασμὸς, eſt cùm ſuperuacuis verbis orationis contextus vel affirmationis vel Epitaſeos gratia oneratur. Affirmando, Aeneid. 4. Vocémque his auribus hauſi: per Epitaſin, id eſt, vehementiam ſiue exaggerationem. Terent. Sed vbinam gentium eſt? Pleonaſmi exempla ſunt. Cicero: Accipies igitur hoc paruum munuſculum. Idẽ, Minutis interrogatiunculis, quaſi punctis id quod propoſuit, effecit. Terent. Interea loci cognoui.

Idem,

Idem, ego hominem callidiorem vidi neminem. Terent. Phor. Act. 2. Scen. 1. Seruum hominem causam orare leges non sinunt. Potest & seruum hoc loco adiectiuum esse. Terent. Phor. Act. 1. Scen. 2. Quid? senem quoad expectatis vestrum? Vbi, Quid, redundare videtur. Cicero. Quid? Orationis quot sunt partes? Solet hoc fieri, teste Donato, pro more quotidiano, cum transitus fit a mentione alterius rei in alteram. Item, tu mihi semper dormis, ibi mihi πλεονάζει. Ille mihi assiduè sedet. Sallust. Sed vrbana plebs, ea verò preceps erat multis de causis. Ea redundat. Sallust. Tanta vis auaritiæ in animos eorũ veluti tabes inuaserat: hîc, in, abundat. Idem. Nam Brutus ab Roma aberat: ab, redundat. Virgil. Et retrò sublapsa referri. Terent. Nónne oportuit præscisse me ante? Ibi antè πλεονάζει. Idem: Multa simul concurrunt, quî cõiecturam nunc facio. Idem Phor. Act. 2. Scen 3 negat, neq; eius patrem scire, quis fuerit. Ibi neque redundat. Retrò abundant.

Perissologia, περισσολογία, cùm clausula orationi sine pondere rerum adijcitur. Liuius. lib ab vrb. cond. 8. Legati non impetrata pace, retrò domum, vnde venerant, abierunt. Superflua locutio.

Macrologia, μακρολογία, superiori admodum confinis, est cùm orationi clausula redundans annectitur: vt Viuat Carolus Augustus, & non moriatur, &c.

Parelcon, παρέλκει, est quum dictio per syllabicũ adiectũ explendi modo ornandiue gratia in fine extenditur, vt sunt hæ fere Coniunctiones, siuè potius Syllabicæ adiectiones, Num, vt etiámnũ, Numnã. Ter. An. Numnã perimus? & Dum. Idẽ in eadẽ: Sosia adesdũ, paucis te volo. Et, Ehodũ bone vir ad me. Virg. Nã neq; Parnassi nobis iuga, nam neq; Pindi. Vbi nam παρέλκει, id est, abũdat.

Epanalepsis, Επανάληψις, est quando post aliquam multa, vel claritatis vel alia quapiam causa orationi interposita, id quod in principio est collocatum, repetitur: ἐπανάληψις, Latine Resumptio, superiorum repetitio. Fit autem

autem Epanalepsis, vel ijsdem verbis, vel diuersis ab his, quæ præposita sunt, aliâs potestate paribus, aliâs magis generalibus. Cicero ad Brutum. Caue enim existimes Brute (quanquam non est necesse ea me ad te quæ tibi nota sunt, scribere) caue putes probitate, cõstãtia, cura, studio Reip. quicqã illi esse simile. Idem lib. Tusc. 1. Confirmato illo, de quo, si mortales animi sunt, dubitare non possumus, quin tantus interitus in morte sit, vt ne minima quidem suspicio sensus relinquatur: hoc igitur probè stabilito & fixo, illud excutiendum est, vt sciatur quid sit carere. Idem pro M. Marcello: Verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modò extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego summis viris comparo, sed simillimũ Deo iudico. In hoc exemplo Cicero figuram mutauit, vt appositiùs clauderet. Adhibentur aliquando notæ quædam, quales sunt, igitur, inquam, & similes.

Hyperbaton, ὑπέρβατον, Transgressio, est cùm dictionum clausularumue legitimus ordo immutatur. Nec aliud, teste Fabio, potest orationem facere numerosam, quàm opportuna ordinis mutatio. Mosellanus ita definit; Hyperbaton est transgressio quædam verborum, ordinem communem perturbans. Mancinel.

Vocum turbatus formabit Hyperbaton ordo.

Cic. Animaduerti, iudices, omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes. Paululum da mihi operæ. Cic. Sed amor voluntatisq; coniunctio plus habet suauitatis. Longũ est Hyperbaton apud Virg. in Tityro. Et Epistola ad Rom. pluribus scatet Hyperbatis.

Anastrophe, ἀναστροφὴ, est dictionum præposterus ordo, Latinè inuersio, siue reuersio dicitur. Mancin.

Dictio si sequitur cùm sit præcedere digna,
Transtra per & remos, hîc Anastropha dicitur esse,

Virg.

Virg. Italiã contra. Et his accenſa ſuper: & Maria omnia circum. Item, Spémque metúmque inter dubij. Horat. Quem penes arbitrium eſt. Idem lib. 1. ſat. 3. Nam vitijs nemo ſine naſcitur. Perſius. ſat. 6. Meſſe tenus propria viue. Queis ſine. Qui cum &c. Cicer. Cuius cum patre magna mihi fuit amicitia. Idem: Cuius in labris veteres Comici lepórem habitaſſe dixerunt. Cæſar: Diu cum eſſet pugnatũ. Terent. Mater quod ſuaſit ſua, odoleſcens mulier fecit. Plaut. Vix apud me ſum, vigilans qui propè dormio. Æneid.

Hyſterologia, ὑστερολογία, eſt cùm præpoſitio non caſui ſeruit, ſed quaſi verbo, quaſi cum eo compoſitum iungitur, Græcis frequentiſſima. Virg. Tyriam qui aduèneris vrbem. Idem: Atque rotis ſummas leuibus perlabitur vndas.

Hyſteron proteron, ὕστερον πρότερον, Præpoſteratio, eſt cùm id quod ſecundo loco fit, priorem in orationis ordine poſſidet, vel cùm quid ordine conuerſo narratur.

Mancinellus.

Hyſteron & proteron nutrit peperit vocitatur,
Hæc fit cùm rectam ſeriem ſententia mutat.

Differt ab Hyſterologia, quòd in hac dictionum, in illa verò ſenſuum eſt Metatheſis. Virg. Æneid. 1.

Et torrere parant flammis & frangere ſaxo. Idem:
Poſtquam altos fluctus tetigit, & ad æquora venit.

Liuius libro ab vrbe condita primo: Quod bonum, fauſtum, felixq; ſit, Quirites, Regem create. Cicero lib. 1. Epiſt. 1. Ego omni officio, ac potius pietate erga te, cæteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſe nunquam ſatisfacio. Hæc loquẽdi figura Græcis eſt vſitatiſſima. Virg. Eclog. 9. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos. Sic cythiſo paſtæ diſtentent vbera vaccæ: Incipe, ſi quid habes, &c. Horatius lib. 1. Ode. 3. Sic te Diua potens Cypri. Sic fratres Helenæ, lucida ſidera, ventorumq; regat pater obſtrictis alijs præter Iapiga, Nauis, quæ tibi creditum

Debes

Debes Virgilium, finibus Atticis Reddas incolumem precor. In his duobus exemplis posterioribus, comprecatio siue votum, precationem præcedit.

Tmesis, Τμῆσις, *Diacope*, διακοπὴ, est vnius dictionis compositæ diuisio, vna dictione pluribusue interiectis, Latinè Sectio, siue interciſio. Mancin.

Dat Tmesim partes in binas dictio secta.

Fab. Nam rogatiõibus plebisue scitis sancta sũt ista præcepta. Ter. And. Sce. 5. Act. 1. Quæ meo cunque animo libitum est facere. Idem Eunu. Thais maximo orabat opere, vt eas redires. Idem in eadem. Omnia prius experiri quàm armis sapientem decet. Plaut.

Sed ne ego stultus, qui rem curo publicam.

Parenthesis, παρένθεσις, *Dialysis*, διάλυσις, est ordinis dissolutio per interpositam sententiam: Vel est, dum continuationi sermonis medius sensus aliquis interuenit: Latine Interpositio, Interclusio, siue dissolutio.

Manci. Interpositio Romana Parenthesis extat. Virg. Aeneas (neq; enim patriam consistere mentem Passus amor) rapidum ad naues præmittit Achatem. Idem Aene. 1. Iuppiter hospitibus (nã te dare iura loquuntur) Hunc lętum Tyrijsq; diem Troiaq; profectis.

Synchysis, Σύγχυσις, est quoties ordo omni ex parte confunditur: Latinè Confusio. Donatus Hyperbaton obscurum, & ex omni parte confusum interpretatur.

Mancinellus:

Synchysis est vocum aut sensus confusio longa.

Aen. 1. Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes Littore Trinacrio, dederatq; abeuntibus, Heros Diuidit. Hunc habet ordinem, Heros Aeneas diuidit deinde vina quę bonus Acestes Siciliæ rex onerarat cadis, & dederat abeuntibus Troianis littore Trinacrio, id est, Siculo. Idem in eodem, Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet, Saxa vocant Itali medijs quæ in fluctibus aras. Ordinatur sic: Notus torquet abreptas (scilicet naues

naues in ſaxa, quæ ſaxa latentia in medijs fluctibus Itali aras vocant.

Hypallage, ὑπαλλαγὴ, eſt quoties oratio conuerſo rerũ ordine profertur: Latinè Submutatio ſiue Subalternatio. Virg. Æneid. 6. Ibant obſcuri ſola ſub nocte, pro ſoli ſub obſcura nocte Idem Æneid. 2. Tergo ſceleratam intorſerit haſtam, pro ipſe ſceleratus. Idem:
Dare claſſibus auſtros, pro dare claſſes auſtris. Item in 10. Stygij ad flumina fratris, pro Stygia ad flumina.
Hang the naple on the bridle.

Antiptóſis, eſt cùm caſus pro caſu ponitur. Dicitur & Enallage, id eſt, immutatio caſus, quam ſanè variationem multis modis apud illuſtres authores legimus. Virg. Proijce tela manu ſanguis meus, pro mi. Perſius Sat. 1. Vos ó patritius ſanguis, pro patritie. Idem: Cenſorémue tuum vel quòd trabeate ſalutas. pro trabeatus, metri cauſa. Hor. macte virtute eſto, pro mactus, teſte Priſciano. libro 17. in calce Cicer. Att. In oppido Antiochiæ, pro Antiochia. Virg. Aeneid. 1. Et fontem ſuperare Timaui pro Timauum. Idem. Et celſam Butroti aſcendimus vrbem, pro Butrotum celſam Vrbem. Idem: Ceruix cui lactea crines Accepit, pro cuius. Terent. Andr. Mulier quædam commigrauit huic viciniæ, pro ad, ſiue in hanc viciniam. Iuue. Saty. Porrectura viro miſcet ſitiente rubetam. Ablatiuus pro datiuo. Horatius lib. 1. Saty. 5. Occurrunt animæ quales neque candidiores Terra tulit, pro qualibus. Ter. Ea primùm ab ea anima duertenda iniuria eſt, pro iniuria eius.

De Enallage generum, numerorum, perſonarum, modorum, ac temporum, in Linacro, & Grammatica, & infra in Alleotheta, fuſiùs dicemus.
Nos reliqua id genus Schemata proſequemur.

Hendiadis, eſt cùm mobile in fixum vertitur, Virg. Chalybem frenoſq; momordit, pro chalybea fræne. Idē: Vir. Georg. Nec mihi diſpliceat maculis inſignis & albo.
Idem.

Idem Ænei. 1. Molemq; & montes insuper altos, hoc est, molem altorum montiũ. Idem Georg. 2. Pateris libamus & auro, id est, aureis pateris. Idem, Per famam ac populũ, id est, famosum populum. Idem, In partem & prædam, id est, partem prædæ. Hendiadis composita dictio est, ab ἓν vnum, διὰ per, & δύο duo, cùm videlicet unum per duo explicatur. Vnde & in hunc modũ fortasse rectius definiretur. Hendiadis est, cum res vna coniũctione interueniente in duo, carminis gratia diducitur, siue alterum è vocibus rem illam significantibus adiectum, siue vtrunque substantiuum fuerit.

Tapinósis, ταπείνωσις est cum rei dignitas verbi humilitate deprimitur. Mancinellus.

Esto Tapinôsis, fertur si de mare gurges.

Virg. Aen. 1. Apparent rari nantes in gurgite vasto: gurgite pro mari. Idem, Multa malus simulans: pro sceleratus siue scelestus Idem, Dulychias vexisse rates, & gurgite in alto. Horat. Pelidæ stomachum: pro iracundia. M. Cato, Locũ editum asperumque verrucam appellat, Teste Gellio lib. 3. cap. 7.

Diomed. κακόφατον

Cacemphaton, Κακέμφατον, est illepida ac inconcinna vocum compositio. Schema vitiosum, nec imitandum, nisi metri necessitas cogat. Fieri consueuit, quando præpositionem cum, litera n succidit. Virg. Aen. 1. Corpora fundat humi, & numerum cum nauibus æquat. Vel, quando sequens dictio syllabas præcedenti similes habet. Cice. O Fortunatã natam me consule Romam! Virg. Aen. 3. Treis adeò incertos cæca caligine soles Erramus pelago. Huc referri queant compositionis vitia, quæ Martianus Capella, libro de septẽ artibus liberalibus, 5. ca. de elocutione cõscripsit: Paræmion, παρόμιον vocat, id est, assimile: & fit cum multę voces ab eadẽ litera incipientes, ex ordine collocãtur: vt Machina multa minax minatur maxima muris. Casus Cassãdra canebat. Mãmam ipsam amo, quasi meam animã. Sol & luna luce lucent Iunio. Iuno Ioui

Ennius.

iure

et virgil: l. 2 stat ferri acies & mucrone corusco
ferrata acies: et iridem p tela, h hostes ꝙ p
hostiha:

iure iraſcitur. Sofia in ſolario ſoleas ſarciebat ſuas. O Tite tute Tati tibi tanta Tyranne tulíſti, &c. Hæc vitioſa dictionum compoſitio Cacoſyntheton, κακοσύνθετον etiam appellatur. Mancinellus: Cacoſyntheton.

Compoſitura mala eſt vocum Cacoſyntheton illa.

Virg. Æneid 9. Verſáque iuuencum terga fatigamus haſta: vbi Ser. κακοσύνθετον & ἀμετρόπλεκτον eſſe ait.

Aſyndeton ſiue *Dialyton*, ἀσύνδετον, ἢ διάλυτον Eclipſeos forma, eſt cùm duæ pluréſue tum dictiones tum orationum clauſulæ, coniunctionum nexibus carent, quorum loco commata interſeruntur. Mancinellus:

Cùm ſine iunctura voces variæ locitantur,
Dialyton certè vel Aſyndeton efficiemus.

Aſyndeton Latinè Inconiunctum, Dialyton diſſolutum. Vt veni, vidi, vici: quibus verbis Cæſar debellato Pharnace rege Pontico, ad ſenatum ſcribens, victoriæ celeritatem ſignificauit: &, vt Suetonius in vita Iulij ſcribit, Pontico triumpho inter cætera pompæ fercula horum verborum prætulit titulum, ſignificantem belli celeriter confecti notam. Aen. 9 Ferte citi ferrum, date tela, ſcandite muros. Tullius in Catilinam: Abijt, exceſſit, euaſit, erupit. Aen. 4. Ferte citi flammas, date tela, impellite remos. Hac figura præcipuè vtimur, vbi celeritatem rei gerendæ ſignificabimus. Oratoribus Articulus appellatur, de quo ſuo loco, & Membrum.

Polyſyndeton, πολυσύνδετον. i. variè ac multipliciter coniunctum, eſt cùm oratio multis coniunctionibus vel eiſdē vel diuerſis abundat. Vel eſt multis nexa coniunctionibus oratio. Virg. Georg. 3 Tectúmque larémque Armá que Amyclæúmq; canem Creſſámq; pharetram. Idem Aen. 2 Demiſſum lapſi per funem Athamáſque, Theaſq; Peli.éſque Neoptolemus, primúſque Machaon Idem. Multa quoque & bello. Figura eſt Poëticæ magis quàm oratoriæ familiaris. Mancinellus:

Diuerſas voces coniunctio plurima ſi fert,

Nempe figura datur Polyſyndeton eſſe Pelaſgum,
Detur in exemplum materque paterq; nepóſque.

Sheſis Onamaton, χέσις τῶν ὀνομάτων, id eſt, nominum habitudo, eſt cùm ſingulis nominibus ſingula Epitheta coniuncta ſunt. Virg. Marſa Manus,

Peligna cohors, feſtina virum vis. Mancin.
Nominibus cunctis ſi fingis Epitheton vnquam,
Tum Scheſis onomáton dixerunt eſſe figuram.

Aliter Scheſis onomáton eſt cùm in contextu ſententiarum plures antonomaſiæ ponuntur: vt, Armipotens, Tritonia virgo. Vir. non infrequens apud Græ. Poëtas.

Hirmos εἱρμὸς, eſt cùm vniformis continuatur orationis ſeries, vnius caſus tenorem ad clauſulam vſque cuſtodiens. Virg. Æneid. 9. Principio cœlum ac terras campóſque liquentes, Lucentemq; globum lunæ, Titaniáq; aſtra, Spiritus intus alit. Idem. Æneid. 1.

Eſt in ſeceſſu longo locus, inſula portum
Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, ínque ſinus ſcindit ſeſe vnda reductos:
Hinc atque hinc vaſtæ rupes geminíq; minantur
In cœlum ſcopuli, quorum ſub vertice latè
Æquora tuta ſilent, tum ſyluis ſcena coruſcis
Deſuper, horrentíq; atrum nemus imminet vmbra:
Fronte ſub aduerſa ſcopulis pendentibus antrum,
Intus aquæ dulces, viuóque ſedilia ſaxo,
Nympharum domus: hîc feſſas non vincula naues
Vlla tenent, &c. Et in proſa natalis Domini cantanda legitur, Natus ante ſæcula Dei filius, inuiſibilis, interminus: per quem fit machina cœli ac terræ, & in his degentium: per quem dies & horæ labant, & ſe iterum reciprocant: quem Angeli in arce poli voce conſona ſemper canunt: hic corpus aſſumpſerat fragile, ſine labe originalis criminis, de carne Marię virginis, &c. Eſt Hyperbati ſpecies. Porrò εἱρμὸς, Latinè ſeries dicitur, ἀπὸ τοῦ εἴρω, quod cum denſo ſpiritu, necto, ſignificat: cum tenui verò εἴρω, dico.

dico. Mancin. Longa quidem series constructus Hirmos habetur. Item hirmos scribitur quasi syrmos, tractus ἀπὸ τῦ σύρω, traho.

Epitheton, ἐπίθετον, Appositum, Attributum, est dictio proprio nomini aut ornandi, aut vituperandi, aut iudicandi, aut denique Emphaseos gratia apposita: vt, Dia Camilla. Scelerúmq; inuentor Vlysses. Laryssæus Achilles, Turpis egestas, Effrænata libido. Manci. Appositum proprio mihi fertur Epitheton esse: vt, Alma Ceres, venusta Venus, cœlúmq; profundum. Eo Poëtę & frequentiùs & liberiùs vtuntur, apud Oratorem, nisi cùm aliquid efficitur, redundat. Tum autem efficitur, si sine illo quod dicitur minus est, qualia sunt: O scelus abominandum! O deformem libidinem! Sumuntur autem Epitheta tribus modis, ab animo, vt Carolus magnanimus Imperator, Contemptor Diuûm Turca: tum à corpore, vt Pulcher Iulus: postremò extrinsecus, & id quidem trifariam: aut enim à loco, vt, Vlysses Ithacus: aut ab actu siue officio, vt, Ænea nutrix Caieta: aut ab euentu, vt, Insula diues opum Tenedos Æneid. 2 Differt ab Antonomasia, quòd hæc nominis vicem sustinet, illud proprio nomine haud vacat vnquam. Epitheta tribus modis sumuntur. Æneid. 7. in fronte

Periphrasis, περίφρασις, loquendi Circulus, Circuitio, Circumlocutio, est quú pluribus verbis, id quod vno aut certè paucioribus dici potest, explicatur. Mancin. Circuitus Romanè Periphrasis esto loquendi. Schemata amplificationis.

Fit autem vel necessitatis causa, cùm videlicet aut turpia, sordida, dictúq; deformia operimus: Vt ad requisita naturæ dixit Salluſt. Voluptatũ seminarium: & libidinis officina apud D. Cyprianum de ratione Circumcisionis: Aut cùm rei nomen non est inditum, siue ignoratur. Matth 18. μύλος ὀνικὸς mola asinaria, pro saxo molari, quod in molis substernitur. Item vicini nostri puella haud inuenusta nupturit: cùm nomen eius tibi non sit cognitum: vel vlurpatur decoris siue ornatus gratia, qui est Periphrasis fit trinis: bus rationibus.

apud poëtas frequentiſſimus, apud quos anni, menſis, diei, noctis, Veris, Aeſtatis, Autummi, Hyemis, meridiei, matutini ac veſpertini temporis aliarúmq; rerum complurium periphraſes inueniuntur innumeræ. Apud Oratores etiam ſchema non rarum, ſemper tamen aſtrictius. In ſumma, quicquid ſignificari breuiùs poteſt & cum ornatu latiùs oſtenditur, Periphraſis eſt: modus tamen in hac, vti & in cæteris adhibeatur.

Peri-phraſis quatuor modis conſtat.

Differt ab Antonomaſia, quòd in hac ſimplex vox ſimplici commutatur: in illa verò vox vna pluribus circumſcribitur. Hæc quatuor præcipuè modis conſtat: Primò, cum patria, ſecta, aut facinus proprij nominis loco ponitur: vt Mantuanus ſiue Andinus vates pro Virg. Venuſinus poëta pro Horatio. Sulmonenſis vates pro Ouidio: Peripateticæ ſcholæ princeps pro Ariſtotele: Stoicæ familiæ pater pro Zenone. Voluptatis aſſertor pro Epicuro: Euangelicæ legis lator pro Chriſto: Cœleſtis orator pro Paulo: Euerſor Carthaginis ac Numantiæ pro Scipione: Augiæ ſtabuli repurgator, ſiue mõſtrorum domitor, pro Hercule: Troiani belli ſcriptor, pro Homero. Secundò fit Etymologia, cum videlicet nominis rationem explicamus. Vt, Alienæ hæreditatis captator, pro Hæredipeta: Homo cibo ventríque deditus, pro paraſito: Vir ſapientiæ ſtudioſus, pro philoſopho: Literarum doctor, pro Grammatico: Plurium locorum poſſeſſor, pro locuplete: Veri Dei cultor, pro Chriſtiano. Tertiò, conſtabit Notatione, cum notis ac ſignis quibu dam accidẽtium rem quanpiam depingimus: Vt, bilis efferueſcit, pallet vultus, ardent oculi, tremor membra occupat, pro irato. Caput vno ſcalpit digito, pro molli ac parum viro. Cubito ſe emungit, pro ſalſamentario. Quartò fieri ſolita eſt finitione. Vt, Bene dicendi ars, pro Rhetorica: Ciuitatis ærarij compilator, pro peculatore: Legum ac ciuium libertatis oppreſſor, pro tyranno, &c.

Λιτότης. *Liptote*, eſt cùm minus dicitur & plus intelligitur. Virg.

Quid

Quid prodeſt quòd me ipſe animo non ſpernis Amynta? ideſt, libentiſſimè amas. Mancinellus:

Si dicas minus & plus ſignes, Liptote habetur:
Munera nec ſperno dulcis amice tua.

Virg. Georg. 1. Nec vlla interea eſt inaratæ gratia terræ. Idem Geor 3. Nec mihi diſpliceat maculis inſignis & albo. i. valde placeat. Fit plerunque cùm nos noſtráque arrogantiæ vitandæ ac modeſtiæ gratia attenuamus, vt, Non ſumus adeò imperiti rerum, vt quid in hac cauſa faciendum ſit nécne, ignoremus, &c. Fit communiter cùm duæ negationes, ſententiam faciunt affirmatiuam. Ideſt, lubens accipio. Id eſt, multa gratia.

Epimone, ἐπιμονή, eſt cùm verſus idem, ac ſententia, ſæpiùs carmini aut orationi interſeritur. Mancin.

Sæpè relata quidem ſententia Epimone habetur:
Intercalares verſus illud manifeſtant:
Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus. Virg.

Non infrequens ſchema in Pſalmis Dauidicis ardentem cordis affectum præ ſe ferens.

Alleotheta ſiue *Allœoſis*, ἀλλοίωσις, eſt cùm numerus numero, tempus tempore, genus genere, perſona item perſona, modus denique modo commutatur. Verſus: Commutat numerum, tempus, genus Alleotheta, Perſonam atque modum & quæ Allœoſis habetur. Aliter, eſt numeri, temporis, generis, perſonæ, ac modi permutatio. Numeri. Terent. Eun. Adeón' homines immutarier ex amore, vt non cognoſcas eundé eſſe? pro eoſdem. Salluſt. Interea ſeruitia repudiabat, cuius rei initio ad eum magnæ copiæ concurrebant, pro quorum. Pli In Africa maior pars ferarum æſtate non bibunt inopia imbrium. Terent. Eunuch. Eunuchum dixi velle te, quia ſolæ his vtuntur reginæ. Huc pertinet, cùm nomini collectiuo ſingulari verbum reſpondet plurale. Virg. Pars in fruſta ſecant, verubuſque trementia figunt. Idem Aenid. 7. Pars leueis clypeos & ſpicula lucida tergunt Aruina pingui, ſubigúntque in cote ſecures. Idem. Pars ſtringunt gladios. Aliter poſita. Permutatio. Variatio. Enallage num. Scen. 1. Act. 2. Scen. 1. Act. 2. Æne. 1. turba ruunt.

1.Mach. 13. dios, &c. Eſt quando ad diſtributiuum ſingulare plurale ſequitur. Ouid. Vtraq; formoſę me iudice ſunt venerãdę.

Enallage tempo-ris. Act.1 Scen.1. Et planxerũt eum omnis Iſrael planctu magno. Ibi tamẽ omnis, collectiuum veriùs diceretur. Temporis variatio. Ter. And. Accedo ad pediſſequas, quæ ſit rogo: ſororem eſſe aiunt Chryſidis: pro acceſſi, rogaui, dixerunt. Virg. Æneid. 3. Et omnis humo fumat Neptunia Troia, pro fumauit. Idem Aen. 4. Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni, pro alebat & carpebatur. Idẽ Aen. 1. Ni faciat, maria ac terras cœlúmq; profundum. Quippe ferant rapidi ſecũ, verrántq; per auras: pro facerent, ferrent, verrerent, præſens pro imperfecto. Ter. Andr. Scen. 1. Act. 2. Tu ſi hic ſis, aliter ſentias, pro eſſes & ſentires. Ter. Adel. Act. 1. Scen. 2. Nam ſi eſſet vnde id fieret, faceremus: pro fuiſſet, & feciſſemus. Liuius, Me quoq; iuuat, velut in parte fuerim, pro fuiſſem. Virg. Progeniẽ ſed enim Troiano à ſanguine duci Audierat, pro ducendum eſſe. Hannibal apud Liuium: Si tales animos in prælio habebitis, quales hic oſtenditis, Vicimus, pro vincemus: ibi præteritũ plus ponderis habet quam futurum. Cæſar: Nonnulli etiam nunciabunt, cùm caſtra moueri aut ſigna ferri iuſſiſſet,

Enallage generis. Scen. 1. Act. 5. non fore dicto audiẽtes milites, pro iuberet. Generis immutatio, quũ neutrum pro maſculino aut fœminino ponitur. Ter. Eun. Ego quoq; vnà pereo, quod mihi charius eſt. i. qui mihi charior ſum. Virg. de capris, Georg 3. Hæc quoque non cura nobis leuiore tuenda. Idem Bucol.

Dulce ſatis humor, depulſis arbutus hœdis,
Lenta ſalix fœto pecori: mihi ſolus Amyntas.

Hanc generis Enallagen & in verbis vſurpant authores. Virg. Siſtunt amnes, terræq; dehiſcunt, pro ſiſtuntur ſiue ſtant. Varro ex Gellio: In priori verbo graues Proſodiæ, quæ fuêre, manent, reliquæ mutant. Cornel. Celſus de tempeſt. Peſſimæ, quæ variant maximè. Vir. Aen. 2. Etiam nox humida cœlo Præcipitat. Idem Aen. 3. Ingeminant abruptis nubibus ignes. Idem: Ingeminant auſtri

ſtri & denſiſſimus imber. Ter. Atque illa ſi lauerit, nuncia mihi. Idem: Quæ res tibi vortat malè, pro mutantur, variantur, præcipitatur, ingeminatur. Niſi Eclipſim potius pronominis ſe dicas, quam interpretationem ſequutus eſt Seru. 2. Cõmen. inquiens, Accingunt operi, pro accingunt ſe operi. Perſonæ variatio non admodũ vſitata eſt, vt Danai, qui parent Atridis contra Priamũ arma ſumite. Ter. Phor. Siquis me quærit Rufus, præſto eſt, deſine, pro præſto ſum: nam de ſe loquitur. Modorum varietas. Vir. Et ſi nõ alium latè iactaret odorem, Laurus erat, pro eſſet. Item: Impulerat terro Argolicas: pro impuliſſet. Cic. Dices, quid? quaſi iſtuc erat magnum, pro eſſet. Cic. Sed valebis, meáq; negotia videbis, méq; dijs adiutoribus ante brumam expectabis: futurum indicandi, pro imperatiuo. Virg. Eclog. 7. contrà imperandi modum pro futuro indicandi poſuit: Si fœtura gregem ſuppleuerit aureus eſto, pro eris. Idem Æn 3. imperatiuum pro optatiuo poſuit: Viuite fœlices, quibus eſt fortuna peracta iam ſua, pro viuant. Ter. Andr. Faciles omnes perferre ac pati, cũ quibus erat, pro ferebat ac patiebatur. Idem Eun. Omnes inuidêre mihi & mordere clanculum, ego autem flocci pẽdere, more hiſtorico, infinitus pro imperfecto indicãdi.

Andr. Scen. 1. Act. 2.

Enallage perſonæ. Scen. 1. Act. 2.

Enallage modi. Georg. 1

Emphaſis, ἔμφασις, eſt cùm altior ſubeſt intellectus ac maior ſignificantia, quàm verba per ſeipſa declarãt. Hæc plurimum adfert iucunditatis orationi, nonnunquam & dignitatis, acrimoniæq; non parum. Hac Eccleſiaſtæ interdum vti licebit, vel cùm tutum non eſt rem apertè proloqui, vel cum id prohiber pudor. Mancin.

Significatio latens.

Altior eſt ſenſus quoties quàm quem tibi verba
Declarant, vel quàm dicis plus ſignificatur:

Aut etiam quod non dicis, ſcito Emphaſin eſſe. Huius tres ſunt formæ. Prima, cùm plus ſignificatur quàm dicitur. Vt apud Homerũ, Demodotus canebat Graios Vlyſſem in equo Troiano circũſediſſe, quo verbo equi lignei latitudinẽ oſtendit. Locus eſt, ἰσθί νυν, ἢ τοίσδ' ἦσθ' ἐγκάτοικον

Emphaſeos tres formæ

ἀμφ' ὀδυσῆα εἵατ' ἐνὶ τρώων ἀγορῇ κεκλυμμένοι ἱππῳ, id est Cæteri iam præclarum circum Vlyssem sedebant in Troianorum absconditi equo, εἵατο i. sedebant, non ascendebant, vt Fab. legit lib. 8. cap. 3. Id quod & Guilielmus Philander annotauit Virg. Aen. 2. Therſandrus Sthenelusq; duces & dirus Vlysses Demissum lapsi per funē, &c. quo altitudo equi demonstrata est. Secunda Emphaseos forma est, cùm quippiam significatur quod non dicitur: Idque bifariam, aut voce omnino suppressa, id quod pro Ligario Cicero fecit. Quod si, inquit, in tāta tua fortuna lenitas tanta non esset, quam tu per te, inquam, obtinēs, intelligo quid loquar. Hìc intelligitur etiam quod non dicitur. Tacuit enim illud, quod nihil ominus intelligimus non deesse homines, qui ad crudelitatem eum impellerent. Aut voce omnino abscissa, idque per aposiopesin, de qua suprà. Tertia denique emphaseos forma, est in verbis vulgò protritis ac plerisque pronominibus: vt, virum te præstes oportet. Hic est ille Propheta, qui in mundum venturus est. ille ego qui quondam, &c. Vbi est scelus illud, qui me hodie perdidit? &c. Est porrò Emphasis denique cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur. Vt cùm Dido Virgiliana inter cætera hæc secū corde volutans: Non licuit thalami expertem sine crimine vitam Degere more feræ? de matrimonio conqueri videbatur, tamen huc eius erupit affectus, vt sine thalamis vitam hominum non putet, sed ferarum. Simile est illud Myrrhæ Ouidianæ, quæ nutrici amorem patris sic confitetur: O dixit fœlicem coniuge matrem. Meta. 10. Fab. 9.

Includi.

Lenitas i. clemētia & facilitas ad gnoscēdum.

Paradiastole, παραδιαστολὴ, est cum ciuili interpretatione nostris aut aliorum vitijs assentando blandimur, vt præposteri nostra tempestate Sileni solent, qui sese haud secus ac muli mutuum scabunt, vt est in prouerbio Vt cum pro astuto, sapientem appelles: pro confidente fortem: pro illiberali, diligentem: cum item prodigum dicimus liberalem: temerarium fortem: auarū frugalem: fastuosum mag-

magnanimum, adulatorem comem: assentatorem amicum. Breuiter, cum vitia sub virtutis specie sese ostentant. Nam & ipse Satanas transfiguratur in Angelum lucis. 2. Cor. Manc. Pro astuto sapiens sit Paradiastola dictus.

De Schem. Rhetoricis.

Hactenvs dictionum simul ac orationum Tropos, Shemata item Grammatica tum Orthographiæ, tũ Syntaxeos Laconica breuitate, quòad fieri potuit, perstrinximus: reliquum est, vt de Rhetorum Schematis siue figuris dicamus, quæ, vt in fronte etiam admonui, in hoc reperta sunt, vt quotidiani ac protriti sermonis fastidium leuent, vt orationem aut iucundiorem aut grauiorem, aut elegantiorem efficiant, vt vim rebus adijciant, & gratiam præstent, & nos deniq; à vulgari tũ scribendi tum dicendi genere muniant. Atque miram Rhetorum in his colligendis industriã est cernere, vt Philippus testatur, qui tã varias humanæ loquutionis formulas, adeòq; & pronuntiationis (vt in Ironia, Epiphõemate, Interrogatiõe, &c.) ac ipsius oris nostri, oculorum, & vultus discrimina haud oscitanter obseruarũt, ac ita tandem in artem redegerũt, non aliter, ac qui auscultatione sonorum, Musicam certis primũ legibus astrinxerũt. Porrò quæ Græci σχήματα, Latini figuras appellant. Figura autẽ apud hos duobus modis dicitur, auctore Fabio: Vno quidem latius, pro qualicunque sententiæ forma: & hoc modo omnis sermo figuram habet, nihilq; non figuratum est: Altero verò modo astrictus, pro eo quod sit a simplici ac in promptu posito tum scribendi tũ dicendi modo, vel poëticè vel oratoriè commutatũ. Hinc dicimus aliam esse orationem ἀσχημάτισον, hoc est, quæ figuris careat: aliam ἐσχηματισμένην, id est, figuris ornatam. Iam viri qui in arte dicendi primas tenẽt, Schemata illa Rhetorica in duas partes diuidunt. Alterã quidẽ verborũ vel Dictionis, vel Orationis, Græcè λέξεως. Lib. 9. cap. 8.

Alteram

Sententiarum, Græcè διανοίας nominantes. Chirius Fortunatianus, consultus libro Rhet 3. tria figurarum genera facit, λέξεως, λόγου, καὶ διανοίας. At quia Melanchthonis viri disertissimi partitio parùm aut ferè nihil ab illis dissidet, eius diuisionẽ & quidem docendi gratia imitari placuit. Is hæc Rhetorum Schemata in treis ordines digerit. In quorum primo ea colligit, quibus cum dictionibus, in oratione tamem positis, negotium est: secundo ea copulat, quæ sententijs exornandis magis quàm dictionibus quadrant. In tertio ea σωναθροίζει, quæ non modò figurandæ, sed etiam tum verbis tum setentijs amplificandæ orationis gratia adhibentur. Illud obiter obseruandum, schemata, figuras, exornationes, orationis lumina, colores, eiusdem rei plura esse nomina.

Primi Ordinis Schemata.

REpetitio est, cùm continenter ab vno eodemque verbo plurium membrorum principia sumuntur. Vel est, cùm eadem vox in plurium clausularum initio iteratur. Hæc pulchritudinis ac venustatis habet multum, tum grauitatis & acrimoniæ plurimum. Vnde nullam orationis exornationem inuenies, qua crebriùs liceat vti, aut quæ tam varijs dicendi generibus cõgruat, authore Trapezuntio: vt, Scipio Numantiam sustulit, Scipio Carthaginem deleuit, Scipio pacem peperit, Scipio ciuitatem seruauit. Idem: Nihilne te nocturnum præsidium palatij, nihil te vrbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi Senatus locus, nihil horum ora vultúsque mouerunt? Item: Tu in forum prodire, tu lucem conspicere, tu in horum conspectum venire conaris. Item: Cum nudus sisteris ante Tribunal supremi Iudicis, vbi tunc diuitiæ tuæ, vbi deliciæ, vbi superbum famulitium, vbi stipatores armati,

Lib. 5. de pulchritudine.

Cic. ora. in Cat. 1.

Bella moves, parce precor precor: ferrat ocie 2 ; 4.

armati, vbi splendida ædificia, vbi latifundia? Hæc figura Dauidi regio prophetæ ac Psalteri admodum frequens est: vt illud, Dominus illuminatio mea, & salus mea, quẽ timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Idem: Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros, &c. Poëtæ vsurpant cùm vnam ac eandem vocem per plurimorum versuum principia repetunt. Virg. Æneid. 1. Psal. 29. Psal. 18.

Venus ad Cupidinem:

Nate meæ vires, mea magna potentia solus,
Nate patris summi, qui tela Typhoëa temnis.

Horatius libro secundo: Ode. 16.

Otium Diuos rogat in patenti:
Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori.

Apud Græcos variam sumit nomenclaturam, appellatur ἀναφορὰ, id est, relatio, ἐπιβολὴ, id est adiectio: è Rutilio παρίσωσις. i. adæquatio vniformis: ab Aquila ἐπαναφορὰ, id est repetitio, relatio.

Epanalepsis, ἐπαναλῆψις, est cùm eadem dictio & initium & finem occupat. Virg. Æneid. 1. Conduplicatio à Cicer. vocatur.

Multa super Priamo rogitans super Hectore multa.

Item: Ante etiam sceptrum Dictæi regis, & ante.

Item: Pater, inquam, me lumine orbauit pater.

Item: Cognitum est remp. venalem habuisse, cognitũ est. Vehementer auditorẽ commouet eiusdem redintegratio verbi.

Latinè Replicatio, siue Reiteratio. Mancinellus: Incipit & finit verbo Epanalepsis eodem.

Pauper amet caute, timeat maledicere pauper.

Sulpit. Victor hanc ἐπαναδίπλωσιν vocat. Iuuen.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Epizeuxis ἐπιζεῦξις, Subiunctio, est eiusdem dictionis citra morem cum impetu pronuntiationis ac maioris vehementiæ gratia geminatio: fit vel amplificandi gratia: Vt, Cic. orat. in Cat. 1. Hic tamen viuit: viuit? imò etiã in senatũ venit. Idem: Occidi, occidi nõ Sp. Meliũ. Viuis, & Pro Milone.

viuis

viuis non ad deponendam ſed ad confirmandam audaciam. Cic. in orat. in Cat. 1. Vel cõmiſerationis cauſa. Virg. Eclog. 2.

Ah Corydon Corydon, quæ te dementia cœpit?

Idem Æneid. 9 Me, me, adſum qui feci, in me conuertite ferrum, ô Rutuli. Mancinellus:

Eſt Epizeuxis ſimilis geminatio verbi
Significantis idem, me me petit Hectore dignam. Hor. Lib. 2. Ode. 14. Eheu fugaces Poſthume Poſthume labũtur anni. Idem. Sic ſic iuuat ire per vmbras. Hoc Schema nonnunquam per Ironiam ad eleuandum effertur: vt, O bone, bone vir, quam probè tegeris.

O thou good fellowe, howe honeſtly doeſt thou behaue thy ſelfe?

Anadiploſis, ἀναδίπλωσις, Reduplicatio, eſt cùm vltima prioris cõmatis dictio in ſequentis initio iteratur: vel cùm antecedentis membri exitum, conſequentis initium facimus. Maro. Æne. 10. Sequitur pulcherrimus Auſtur, Auſtur equo fidens. Idem: Sit Tityrus Orpheus, Orpheus in ſyluis. Idẽ: Vos hæc facietis maxima Gallo, Gallo, cuius amor, &c. Item. Magna Reip. ſpes ſita eſt in iuuentute: Iuuentute inquam illa, quæ à cunabulis ipſis honeſtis tum moribus tũ literis inſtituitur. Hæc etiam πολλογία, nominatur. Pſalm. 121. Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Ieruſalem, Ieruſalem, quæ ædificatur, &c.

Eclog. 9.
Eclog. 10.
πολλογία.

Conuerſio, ἀπιστροφὴ, eſt quando continenter ad vnum atque idem verbũ plura membra exeunt: Vt Pœnos pop. Romanus iuſtitia vicit, armis vicit, liberalitate vicit. Frumenti multũ è Gallia, peditatus ampliſſimæ copiæ è Gallia, equites numero plurimi è Gallia. Cicero, De nobis, quos in repub ſaluos eſſe voluiſti, quoties cogitabis, toties de tuis mãximis beneficijs, toties de incredibili liberalitate, toties de ſingulari ſapientia cogitabis. Hîc per Zeugma verbũ in duobus cõmatis ſupprimitur. Solus Chriſtus eſt qui condidit hominem, redemit hominem, patri reconciliauit

Pro M. Marcello.

liauit hominem, hominis causa induit hominẽ, varijs spiritus sui dotibus instruxit hominem, breuiter solus beat hominem. Hanc Rutilus ὑπερεχὴν nominauit.

Complexio, Συμπλοκὴ, est cum orationis alicuius membra idem principium eundemque finem sortiuntur. Cic. Quis eos postulauit? Appius. Quis perduxit? Appius. Idem. Qui sunt, qui fœdera sæpe ruperunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui bellũ crudelissime gesserunt? Carthaginenses. Qui sunt qui Italiam deformauerũt? Carthaginenses. Qui sunt, qui sibi ignosci postulant? Carthaginẽses. Item, quis nobis Christianis ob Principum nostrũ oscitantiam, ac mutuam inter se digladiationem, ad dilatanda ditionis quisque suæ pomeria, denique ob nefandissima scelera nostra, duo Orientis Imperia Trapezuntiũ & Constantinopolitanum per vim abstulit? Turca. Quis superioribus annis Pannoniam inferiorem miserè, interfecto Rege Ludouico, igni ac cæde plusquam Tyrãnica profligauit? Turca. Quis Viennam vrbem superioris Pannoniæ celeberrimã omnibus belli machinis ac stratagematis acerrimè oppugnauit, nec, volente ita Deo, expugnauit? Turca. Item: Quid eras priusquã te conderet Deus? Nihil. Quid eras priusquam te redimeret Cristus? Minus quàm nihil. Quid nunc futurus esses, si tibi subducat gratiã suam? Nihil Quid est autem ad veram fœlicitatem cõducibile, quod tibi non largiter subministrauit? Nihil. Quid habes, aut potes ex teispo? Nihil. Quid igitur est quod aliunde speres boni? Nihil. Pro Milone ad Hirennium.

Copulatio, siue *Duplicatio*, est cùm idem verbum cum Emphasi quadam repetitur, hoc modo: Sed tandem ad illum diem Memmius erat Memmius: posterius enim notat eius iã antè cognitos mores. Ita rectè diceretur. Paulus apud Ananiã pontificẽ erat Paulus, hoc est, sui similis. Græci vocãt πλοκὴν. Differt ab Epizeuxi, quòd hæc principium geminat, illa finem. *Obseruatiuncula.*

Vnaquæq; prædictarum septem repetendi formarum

siue

ſiue Schmatum vno eodemq; generali nomine Repetitio appellari poteſt. Suntq; venuſtati, acrimoniæ, ac vehemẽtię perquam accommoda. Ex his Repetitio, Conuerſio & Complexio, ad obiurgandum etiam, exhortandum & exprobrandum mire faciunt.

Schemafeſtiuitatis. *Traductio* eſt cùm eadem dictio aliquoties diuerſo caſu repetitur. Hęc non modò non offendit aurium iudicium, ſed etiam oratione auditu reddit concinniorẽ, hoc pacto: Qui nihil habet in vita iucũdius vita, is cum virtute vitã non poteſt colere. Item: Eum tu hominem appellas, qui ſi fuiſſet homo, nunquam tam crudeliter hominis vitam petiſſet. Hoc Schema Poëtis nominatur πολύπτωτον, Polyptoton, hoc eſt, multitudo caſuum varietate diſtincta. Aen. 4.

Polyptoton. Littora littoribus contraria fluctibus vndas
Imprecor, arma armis, pugnent ipſiq; nepotes.

Perſ. Sat. 1. Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter. Virg. Hæret pede pes, denſuſq; viro vir.

Rom. 11. D. Paulus. Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi honor & gloria in ſæcula ſeculorum.

Mancinellus:

Dátq; Polyptôton varios caſus retinendo
Clauſula, littoribus contraria littora, fluctus
Fluctibus eſſe precor, populis populos inimicos.

Pro Plã. *Articulus*, eſt cùm ſingula verba interuallis diſtinguuntur cæſa oratione, hoc modo: acrimonia, voce, vultu, aduerſarios perterruiſti. Cicero, De eorum deſiderio, luctu, querelis, quotidie tecum ſimul audiebam. Idem: Talis in rem noſtrã labor, aſſiduitas, dimicatio, virtus digna ſummo Imperatore. Fab. Quæro ab inimicis, ſint ne hæc inueſtigata, comperta, patefacta per me? Item: Rem, famã, parentes, amicos, Deum amiſiſti. Facit ad acrimoniam orationis, nam crebris veluti vulneribus ad imum ferit.

Pro cor. Bai.

βραχυλογία. Fab. lib. 9. Cap. 4. Poëtæ Aſyndetõ vocãr, de quo ſuprà, à Fabio Diſſolutio nominatur, ab alijs etiam βραχυλογία, quę poteſt eſſe copulata Diſſolutio, ad verbum, Breuiloquentia. Aptum etiam ſchema,

ſchema, cum quid inſtantius dicimus. Vbicunque enim acriter erit & inſtanter pugnaciterque dicendum, membratim, c[illegible]ſimq; dicemus.

Membrum, κῶλον, eſt cùm duo vel plura membra, vel abſq; nexu, vel cum eo copulata proferuntur, hoc modo: Vide quantũ infelicitatis vno crimine tibi cõſciuiſti, Patrimonium prodigiſti, parentes in luctum coniecisti, amicos abalienaſti, famam contaminaſti, Deum ad iram prouocaſti. Item: Et inimico proderas, & amicũ lædebas, & tibi ipſi non conſulebas. Itẽ: Nec Reip. conſuluiſti, nec amicis profuiſti, nec inimicis reſtitiſti. Hoc Schema, cùm in ſe orationis membra continet, quę ex pariferè numero ſyllabarũ conſtãt, *ἰσοκωλία*, ſiue Cõpar nominatur. In prælio mortẽ pater oppetebat, domi filius nuptias cõparabat. Scipionis virtus & Reip. profuit, & hoſtibus terrori fuit, & ſibi æternum cognomen peperit. Infuga fœda mors, in victoria glorioſa. Ego conſilio, nummis, & ſanguine iuui: tu me dolo, arte, & gladiis inuaſiſti. Maxime probantur, quæ tribus conſtant membris, quanquam nihil vetat et duobus vti vel pluribus. Hæc ſchematis gratiã amittunt, ſi ſint longiora; numero & breuitate commendantur. Omiſſio item coniunctionum addit gratiam, acrimoniam ac vehementiam. Porrò partium ſiue membrorũ æqualitas, non digitis, ſed aurium ſenſu quodam dijudicãda eſt, Puerile ſiquidem eſt numerare ſyllabas, cùm pauciores, ſi productæ ſint, frequenter æquent numero plures.

Schema amplificationis.

Compar *πάρισον*. 1. prope æquatũ.

Similiter cadens, ὁμοιόπτωτον, eſt quando ijſdem caſibus dictiones aut ſententiæ efferuntur, hoc modo: Mœrẽtes, flentes, lachrimãtes, cõmiſerantes. Sal. Maximis ducibus fortibus ſtrenuiſq; miniſtris. Item: Laudas hominẽ egentem virtutis, abundantẽ felicitatis. Itẽ: Nunquam fruetur ſapiẽtia, cui inuiſa eſt induſtria. Itẽ: Cuius omnis in pecunia ſpes eſt, eius à ſapiẽtia eſt animus remotus. Diligentia cõparat diuitias, negligẽtia corrũpit animũ, nec refert vtrũ hæc caſuũ ſimilitudo ſit in frõte, an in medio, an in fine.

Similiter

Similiter desinens, ὁμοιοτέλευτον, est cùm dictiones vel sententiæ similiter exeunt. Ennius: Eos deduci, euehi, quàm deseri malui. Turpiter audes facere, nequiter studes dicere. Viuis inuidiosè, delinquis studiosè, loqueris odiosè. Audacter territas, humiliter placas. Difficile est sapere simul & amare. Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi. Cicer. orat. in Catil. 2. Sed quãuis multos fuisse putatis, qui, quæ ego defenderem, non crederent: quàm multos etiam, qui defenderent· quàm multos & qui propter improbitatem fauerent. Idem pro M. Cælio in fronte. Qui armati Senatum obsederint, magistratibus vim attulerint, Remp. oppugnarint. Differt à superiore, quòd hæc in partibus orationis casibus obnoxijs locum tenet, illa verò in cæteris. Nonnunquam in vnam orationem coire possunt, hoc modo: Perditissima ratio est amorem petere, pudorem fugere, diligere formam, negligere famam.

Agnominatio, ἀφομοίωσις, est iucunda quædam vocum collusio, significatu tamen diuerso. Vel est, cùm vox repetitur non prorsus eadem, sed aliqua ex parte immutata. Fitq; hæc cõmutatio vel adiectione, detractionéue literæ aut syllabæ: vel productione aut correptione syllabarũ, hoc pacto: Deliges quem diligas. Videte Patres conscripti, ne circumscripti videamini. Sit diuus, modò ne viuus. Magistratus ille oneri potius est, quàm honori. Terent. Inceptio est amentium haud amantium. Christianismus neutiquam est, imò Gastrismus, i. ventris ingluuies ac indulgentia. Cic. Qui fuit locus religiosissimus, is erit locus desertissimus. Non Theologus sed Matæologus. Non te prętorẽ, sed prędonem dicimus esse. Cicero, Ex oratore orator. Philip. 3. Hunc auium cantus ducunt ad auium. Hic non tantum curam diligit, quantum Curiam. Curia prima correpta, meretricis vocabulum est. Hæc eadem *παρηχία*, siue *παρήχησις* appellatur. Latinè possis Assonantiam dicere. Etiam *παρωνυμασία*, id est rei denominatio: quam

παρηχία παρήχησις. παρωνυμασία. Denominatio.

quam cur Fabius à παρονομασία non modò seiunxerit, sed etiam contrariam fecerit, hactenus assequi non potui.

Antanaclasis, ἀντανάκλασις, est eiusdem verbi contraria significatio: à verbo ἀντανακλάω, i. refringo, reuerbero. Vnde ἀντανάκλασις propriè est reciproca motio siue reuerberatio, vt in ludo pilæ fieri solet Hæc superiori vicina, sed ratior illius vsus est: Vt, amari iucundum est, si curetur nequid insit amari. Itē Proculeius querebatur de filio, quòd expectaret mortem patris; cùmq; filius respondisset; Ego verò non expecto: Imò, inquit pater, rogo vt expectes. Expectat mortē hominis, quæ imminet ac optat, & expectat qui nihil molitur ante mortem, sed æquo animo fert illum esse viuacem. Ecclesia Christi ab infantia eius ab Hæreticis oppugnata est, ac nondum expugnata: quanquam præpositio hic variet. Ita 2. Corinth. 4 ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορηθέντες, i laboramus, at non destituimur; siue redigimur ad egestatem, at in egestate non destituimur: vel, vt Græci, ad summam angustiam redigimur, sed malis nec oppressi nec victi, & c. Hoc solum sit in amando Deum Psal. 118.

De Hypallage, Ecclipsi, Aposiopesi, Onamatopœia, Antonomasia, Metonymia, Catachresi, & Allegoria, quæ in hunc ordinem relegenda sunt, suprà partim in Tropis, partim in Schematibus Grammaticorum dictum est.

SECVNDI ORDINIS SCHEMATA, quæ sententijs magis quàm verbis accommodantur.

INTERROGATIO diducitur in Simplicem & Figuratam. Simplex est, quæ solùm sciscitandi ac à respondente discēdi gratia cum spiritu quodā interrogantis profertur. Ita Virg. Æneid. 1. Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris? Figurata verò, quæ sciscitandi gratia non assumitur, sed percontādo varijs seruit affectibus, Asseuerationi, miserationi, instantiæ, indignationi, admirationi, ἐρώτημα. Vide Fab. lib. 9. cap 2.

dubitationi, quæ Fab. exacte persequitur. Asseuerationi: Vt, Mónne Momus hic noster hunc tenebrionẽ proprijs ad amussim depinxit coloribus? Miserationi: vt, Si nõ Virgilianus. Heu, quę me tellus, inquit, quę me æquora possũt accipere? Instandi siue vrgendi: Quid tuus ille, Tubero, districtus in acie Pharsalica gladius agebat? Idem: Quousque tandẽ abutere Catilina patientia nostra? Idem in eadem: Patêre tua consilia non sentis? & totus hic denique locus. Indignationi: Et nusquam Iunonis numen adoret? Indignationi simul & tædio: O generatio incredula & peruersa, vsq; quo vobiscum ero; Quamdiu vos patiar? Admirationi. Quid nõ mortalia pectora cogis Auri sacra fames? Dubitationi: vt, Quò me vertam, quo tendã? quid faciam? hîc nosmet rogamus. Ita D Hieronymus, Quid agimus anime? Hæc Græcè ἐρώτησις dicitur: quòd si multa rogantur πύσμα vocatur, à præterito πέπυσμαι verbi deposití πυνθάνομαι interrogo, augumento ac i è diphthongo reiectis. Schema est acrimoniæ: tempestiue enim adhibita multum vigoris & aculeorum addit orationi. In tempore porrò adhibetur in re vel perspicua vel argumentis iam efficta, vndè peculiariter conuenit Epilogis. Quanquam in alijs quoque orationem reddit viuidiorem. Eadem. n. sententia per interrogationem prolata plus habet vigoris quàm simpliciter enũciata. Velut illud ex Ouidij Medea: Seruare potui, perdere an possim rogas? Ardentius est, quàm si dixisset, Si potui seruare, potero & perdere.

Æne. 2. Cic. pro Ligario. Ora. 1 in Catilinam. Æne. 1. Æne. 3. Eras. in Eccles. Schema amplificationis.

Subiectio, est cum ipsi nostræ interrogationi respondemus. Id fit tribus modis. Primò cùm nobis ipsis obijcimus, quod ab auditoribus obijci poterat, & quasi obiectũ sit respondemus. Secundo, cùm aduersarios compellamus: vt respondeant, & quasi responderint, refellimus. Tertiò, cùm quasi deliberantes varia proponimus, ac singula confutamus. Primus modus authore Erasmo, conuenit argumentationi. Secundus Epilogo, vterque conuenit inductioni. Tertius aptus est ad deliberandum. Exemplum primi

Subiectio fit tribus modis.

Cicero,

Cicero, dicet aliquis: hæc igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes? ob hanc causam tibi hunc puerum parens commendauit & tradidit, vt in amore & voluptatibus adolescentiam suam collocaret? & hanc tu vitam, atque hæc studia defenderes? Ego si quis Iudices, hoc robore animi, atque hac indole virtutis ac continentiæ fuit, vt respueret omnes voluptates, omnémque vitæ suæ cursum in labore corporis atque in animi contentione conficeret: quem non quies, non remissio, non æqualium studia, non ludi, non conuiuia delectarent: nihil in vita expetendum putaret, nisi quod esset cum laude & honore, & cum dignitate coniunctum: hunc, mea sententia, diuinis quibusdam bonis instructum atq; ornatum puto, & cætera. Exemplum secundi. Nunc appello vos Iudæi, quibus freti persistitis in vestra dementia? Prophetarum oraculis? Ostendimus eos omnes pro nobis facere. Mose? Declaratum est, illum non de alio quam de Christo nostro scripsisse. Typis ac figuris? Omnes ad vnguem in Christum quadrare demonstratum est. Miraculis? Maiora nemo potuit desiderare. Numero cõsentientiũ? Vos pauci mussatis in angulis: totus orbis Christum adorat. Euentus vos spes lactat? Videtis iam olim euersum Templum, sublata Sacrificia, dissipatam Ciuitatem, dispersam & abiectam Gentem, nec eam alio præsidio superstitẽ, quàm Christianorum clementia. Quid igitur supereſt, nisi vt respiscatis, & nobiscum Messiam verum amplectamini? Exemplum tertij. Dic mihi quæso, quid habet mundi cultor, quo turgeat, & in quo spem suam figat? In diuitijs? Neminem reddunt magnum aut beatum, sæpe viuum deserũt, tantũ abest vt morientem comitentur. In liberis? Possessio est ipsis opibus incertior. In vxore, famulitio, cæterisque commodis? Nihil in his neque stabile, neque tale, vt animum hominis tranquillum efficiat. Ad Deum confugiet? Eum habet iratum. Ad suum ipsius animum? Illic inueniet carnificem conscientiam. Est præterea subiectionis species,

Pro. M. Cæli.

Alia subiectionis species.

qua, dum ipsi quæstionem proponimus, ac mox ad eam respondemus, reddimus auditorem attentum ac docilem. Ita D Pau. Gal. 3. Quid igitur lex? propter transgressiones posita est. Et ad Ro. 3. Vbi est gloriatio tua? exclusa est. Per quam legem? factorum, non, sed per legem fidei. Hæcq; Figura tam frequens est apud Paulum, vt nusquam non occurrant exempla. Et Christus aliquoties vsus est, velut Luk. 7. Quid existis videre in desertum? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum, &c. Idem in eodem: Cui autem assimilabo homines generationis huius? aut cui similes sunt? Similes sunt pueris sedẽtibus in foro, &c. Item. Matth. 7.

Alia subiectionis forma. Verba Turni.

Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? &c. Est & alia subiectionis forma, qua quiddam veluti ab aduersario nobis obiectum cõcedimus, sed subijcimus aliud, quo illius obiectionem ad nos detorquemus. Virg. Aeneid. 9. Sed perijsse semel satis est, peccare fuisset Ante satis. Item, difficilis est labor discendi linguas, sed necessarius.

Alia subiectionis forma.

Alterum enim hic velut ab aduersario obiectum, alterum eidem opponimus. Fit deniq; subiectio, cum quæstio quæstioni opponitur, quale est illud ad Rom. cap. 3. Si iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? nunquid iniquus est Deus? absit, alioqui quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Habet autem hoc Schema non nihil affinitatis cum Erotemate, Dialogismo, Occupatione, & cum Dubitatione. Nec ad vnam orationis cõmoditatẽ vtilis est. Facit ad perspicuitatem & ad vehementiam siue grauitatẽ, & ad docilitatem.

Vsus subiectionis

Græci ἀνθυποφορὰν ὑπόθεσιν λέγουσιν appellant. Est autem ἀνθυποφορὰ per sermonis exceptionem obiectio: ὑπόθεσις verò contraria inductio & oppositio, cùm aliquid difficile, & contrarium conferimus. Vt Cicero de rege Ptolemæo, Difficilis ratio belli gerendi, at plena fidei, plena pietatis.

ἐκφώνησις.

Exclamatio est, quæ conficit significationem aut doloris aut indignationis, per hominis, aut vrbis, aut loci, aut temporis,

temporis, aut rei cuiſpiam compellationem. Cicero Philip 2. O tempora, ô mores, ó me miſerum! O incredibilē audaciam! O impudentiam prædicandam! O fœditatem hominis flagitioſam! O impudentiam nequitiam, libidinem non ferendam! O miſerum te, ſi intelligis, miſeriorem, ſi non intelligis! O audaciam immanem! O hominē nequam! O impudentiam ſingularem, quid videras! O tecta miſera, quàm diſpari domino, &c. O deteſtabilem hominem! Hoc Schema mouet acriores affectus, ſed in loco adhibitum. Nam ſtatim ab exclamatione ordiri, aut in re frigida tollere vocem, dementiū eſt. Verùm vbi res magnas perſuaſeris, vbi iam animos auditorum inflexeris, tum locus erit exclamationi, quam tamen nec frequentem eſſe oportet, nec diuturnam. Neq; tibi tantùm exclamatio eſt, vbi auditur ô, neq; ſatis eſt ad exclamationem, quantum potes inclamare ô, quæ vox eſt a ſinorum, ſed quoties impotens affectus erumpit, ibi demū eſt exclamatio. Vt Paulus, qui multa loquutus de inuincibili carnis imbecillitate, tandem exclamat, Infœlix ego homo! quis me liberabit de corpore hoc morti obnoxio? Ea nonnunquā inſeritur per parentheſin. Velut, Heu piget ac pudet: aut, Deū immortalē! quàm nihil vſquā tutum in rebus humanis? Horreſco referens. Væ duritiæ cordis humani Conduplicatur autē vehementia, ſi acceſſerit apoſtrophe. Tale eſt illud D. Ber. cùm aſinum, quē conſcendit Dominus interpretatus eſſet carnē noſtrā indomitā, ac ſpiritui rebellem, exclamat: Cōſcende ac preme hunc aſinum noſtrū Domine Ieſu: Ita Aeneas Virg. Quid nō mortalia pectora cogis Auri ſacra fames? Huc pertinent imprecationes, Græci ἀραὶ vocāt. Patho-Vt, Væ vobis Scribæ & Phariſæi, &c. Item Obteſtationes Græcè λιτάι. Virg. Per ego has lachrymas, dextràmq; tuā te, &c. oro Item Ominationes. Idem Aeneid. 10. Turno amplifitempus erit, magno cùm optauerit emptum Intactū Pallanta. Deniq; tota παθοποιία affectuum motio ac varietas. Lib. Sat. Qui quidem affectus a circumſtantijs, ab habitu, ætate, 4. Per. 6.

Omoia

Eraſm.

Rom. 7.

Aene. 3. Aneid. 4. Dido.

Patho-poeia. Schema

Lib. Sat.

fortuna, loco, tempore, cauſa, modo, materia, & perſonis peti ſolent, quorum formas in Virg. Macrob. ad amuſſim adnotauit, & literarum ſtudioſus horum diſcrimina in
neid. 6. bonis authoribus per ſeſe obſeruauit, ab infantia. Virg.

Continuò audiri voces, vagitus & ingens,
Infantúmque animæ flentes in limine primo,
Quos dulcis vitæ exortes, & ab vbere raptos
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.

A Senecta. Item: Dauni miſerere ſenectæ. Et, Ducitur infelix æuo confectus Aletes. A conditione: Idem, Æn.
ne. 12. 4. Hoc ſolum quoniam nomen de coniuge reſtat, &c. A
ro Mi- perſona. Cic. O me miſerum! ô te infelicem? reuocare
ne. me tu in patriam Milo potuſti per hos, ego te in patria per eoſdem retinere non potero? Idem in eadem, Fruſtra, inquit, mei ſuſcepti labores. Oſpes fallaces, ô cogitationes meas inanes, &c.

Inſultatio, (Exclamationi affinis, Tropus Ironiæ ac Sarcaſmo non admodum diſſimilis) hoc modo definitur: Eſt qua alicui contumeliosè quiddam nec ſine irriſione opprobramus. Ita Dido Virgiliana:

I, ſequere Italiam ventis, pete regna per vndas:
Spero equidem medijs (ſiquid pia numina poſſunt)
Supplicia hauſurum ſcopulis.

Phædra Ouid. ſcortum nefandum,
In auarũ I nunc & meritæ lectum reuerêre parentis,
Tæda Quem fugit & factis abdicat ille ſuis. Iu. Sat. 12.
pro naui I nunc & ventis animam committe, dolato
ſiue ta- Confiſus ligno, digitis à morte remotus
bula ex Quatuor aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.
picea ar-
bore.

Dubitatio, Græcè ἀπορία, eſt cùm perplexi animiq; dubij hæſitamus, quidnam potiſſimum inter duo pluraue dicendum ſit aut faciẽdum, hoc modo: Obſuit eo tempore
Διαπόρησις. plurimum reipub. Conſulũ ſiue ſtultitiam ſiue malitiam dicere oportet, ſiue vtrunque. Item: Quæro quónam te digno moribus tuis appellem nomine? Eloquar, an ſileã?

Mare

Maro. Crudelis mater magis an puer improbus ille. Ter. Quam vitam. Vbi quæram, vbi inueſtigem, quem perconter, quam inſiſtam viam, incertus ſum. Item: Quò me vertam? quos appellem? vnde implorem opem? Item: Copia rerum facit, vt dubitem vnde exordiar, quæ primo aut vltimo loco dicam? Vtrum, illi his malis ereptogratulari debeã potiùs, quàm noſtram vicem deflere, qui tãtum Eccleſiæ lumen amiſerimus, nondum ſtatui. In hoc homine quid potiſſimum admirari debeam, hæſito, malitiámne an impudentiam, an vecordiã. In ipſo ſtatim initio dubius ſum, quo nomine vos alloquar, commilitonum an hoſtium. Vtris potiùs indignandũ, iis qui te ad hoc facinus inſtigârunt, an tibi qui talium improborum conſiliis, quàm bonorum virorum monitis obtemperare malueris. Cicero. Act. 7. Quid primum aut accuſem, aut querar Iudices?

Inopinatum, Paradoxum, παραδόξον dubitationi affine. Et cùm negamus nos potuiſſe vel ſuſpicari vel opinari. Vt Pollio: Nũquã credidi fore Iudices, vt reo Scauro, nequid in eius iudicio gratia valeret, precarer. Eiuſmodi ſunt in quibus mirandi verbis vtimur. Libẽter autẽ, vt à reliquis affectuum verbis, ita à paradoxo ſeu dubitatione ordimur. D. Paulus: Miror quòd tam citò transferimini. Gal. 1.

Communicatio, ἀνακοίνωσις, eſt cùm aduerſarium conſulimus, aut cum Iudicibus quid faciendum ſit, aut quid factũ oportuerit, deliberámus, hoc modo: Si idem caſus tibi incideret, cedò quid faceres? In hoc turbulentiſſimo rerum ſtatu date conſiliũ, quid mihi cenſetis faciendum? Hîc tuam appello conſcientiam, an ferres hoc ab alio factum, quod tibi nũc vis eſſe impunè? Cato. Cedò ſi vos in eo loco eſſetis, quid aliud feciſſetis? Ter. Tu ſi hic eſſes, aliter ſentias. Quid ſi tuæ res agerentur? quid ſuaderes? Cic. in Verr. Quid deinde? Quid cenſetis, furtum fortaſſe? aut prædam aliquam? Hoc ſchema Dubitationi ferè adſimile, habétq; vm vrgendi ac obiurgandi. Act. 7.

Permiſſio, eſt cùm aliqua iudicibus æſtimanda relin-

quimus, aliqua nonnunquã aduersarijs quoq;. Habet hoc Schema aut exprobrationẽ, aut dissimulationem, aut assęuerationem aut fiduciam. Assęuerationem habet illud Calui ju Vatinium: Perfrica frontem, & dic te dignioręm, qui Prætor fieres, quàm Catonem. Fiduciam habet, quòd Petrus Apostolus respondit Concilio interminanti, ne postea verba facerent de IESV: An oporteat magis obedire hominibus quàm Deo, vos ipsi iudicate. Vehementer enim confidit causæ suæ, qui non veretur aduersario permittere iudicium. Tale est illud Esa. 1 Venite, & arguite me, dicit Dominus. Et Christus in Euangelio: Quis ex vobis arguit me de peccato? Cicero, & post illum Trapezuntius paulò aliter definiunt, sed in eundem ferè sensum: in hunc modum: Permissio est, cùm dicendo ostendimus nos rem aliquam alterius potestati concedere: sic: Quoniam omnibus rebus ereptis, solùm mihi super est animus & corpus, hæc ipsa, quæ mihi de multis sola relicta sunt, vobis & vestræ condono potestati. Interdum non leue momentum habet, ad auditorem, siue iudicem, vel ad benęuolentiam inclinandum vel ad misericordiam, si demonstremus nos omnem fiduciam in ipsius æquitate collocasse. Ex eodẽ fonte manat hoc Schema, quo & Cõmunicatio, vnde ei haud est absimile. Tale est & illud, Vobis iudices cogitãdum relinquo, quid hinc resp detrimenti acceperit Sunt ex Grẹcis, qui hoc Schema ὑπηρόπτην, alij συγχώρησιν siue συγχώρησιν appellari aiunt.

Licentia (παῤῥησία, loquendi libertas) est cum in oratione libertate veluti abutentes, authoritatẽ nobis & fidem cõciliare studemus. Præstat hæc ne offendat libertas: vnde & in hoc adhibetur, vt mitiget liberiùs dicta, ne offendãt auditorem, hoc modo: Ignoscite, si videbor æquo liberiùs dicere. Et, Si vos offendit sermo liberior, illis magis æquum est indignari, quorum improbitas, vt hæc dicerem, perpulit. Item: Si molesta est orationis acerbitas, cogitate graues morbos non sanari lenibus pharmacis.

Item:

Item: Duriùs loquor, ſed huc me compellit veſtri charitas. Dicam inuitus, nequaquam dicturus, niſi eſſet in rem veſtram. Vſus eſt hoc ſchemate D. Pet. in actis: Viri fratres, liceat ad vos audenter loqui de Patriarcha Dauid, &c. Mitigatur etiam libertas illa loquendi extenuatione mali, aut admixta laude. Sic D. Paul. Galatarum crimen per ſe atrox eleuat, culpam reijciens in pſeudapoſtolos, qui illorum impoſuerant ſimplicitati, nec fraudem tamen ſed faſcinationem appellat. Latet interdú ſub hoc Schemate Adulatio: Vt eſt illud Cic. Suſcepto bello Cæſar, geſto etiam ex parte magna, nulla vi coactus, conſilio ac voluntate mea ad ea arma profectus ſum, qua erant contra te ſumpta, &c. Hic non ſolùm ad vtilitatem Ligarij reſpicit, ſed magis laudare victoris clementiã non poteſt. Ita Petrus Act. 2. & 3. Pro Ligario.

Auerſio, Σποστροφὴ, eſt cùm ſermonem ab ijs, quibus loquebamur, auertentes, ad aliam perſonam ſeu præſentem ſeu abſentem, vel iam olim defunctam conuertimus. Ita M. Tullius à Cæſare ad Q. Tuberonem ſermonem flexit: Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharſalica gladius agebat? &c. Virg. Scipiadas duros bello, & te maxime Cæſar. Item ſiquis de vanitate mundi verba faciens ſubiungeret: O munde, quàm blanda ſunt, quæ promittis? quàm amara, quæ reddis? Et de peccato loquens exclamaret: O mendax peccatum! quàm dulcia pollicebaris initio, quanto nunc alia loqueris tuis caſſibus inuoluto? Et Prudentius, O tortuoſe ſerpens, &c. In his perſonam rebus affingimus. Hoc Schemate vti licebit, cùm oratio feruet, & ad concitandos affectus mirè conducit, ſi in loco ac ſcitè adhibeatur. Et Fabius hanc figuram auditores vehementer mouere ait, ſiue cùm aduerſarios inuadimus, vt in prædicto Ciceronis exemplo: Quid enim ille tuus Tubero, &c. Siue cùm ad inuocationem aliquam conuertimur: vt idem, Vos enim iam ego Albani tumuli atque luci, &c. Siue ad inuidioſam implorationem: vt, O leges Portiæ, legéſque Sempronia, &c. Geor. 2. Pro Milone.

Frequens

quimus, aliqua nonnunquã aduersarijs quoq;. Habet hoc Schema aut exprobrationẽ, aut dissimulationem, aut assseuerationem aut fiduciam. Asseuerationem habet illud Caluiju Vatininm: Perfrica frontem, & dic te dignioré, qui Prætor fieres, quàm Catonem. Fiduciam habet, quòd Petrus Apostolus respondit Concilio interminanti, ne postea verba facerent de IESV: An oporteat magis obedire hominibus quàm Deo, vos ipsi iudicate. Vehementer enim confidit causæ suæ, qui non veretur aduersario permittere iudicium. Tale est illud Esa. 1 Venite, & arguite me, dicit Dominus. Et Christus in Euangelio: Quis ex vobis arguit me de peccato? Cicero, & post illum Trapezuntius paulò aliter definiunt, sed in eundem ferè sensum; in hunc modum: Permissio est, cùm dicendo ostendimus nos rem aliquam alterius potestati concedere: sic: Quoniam omnibus rebus ereptis, solùm mihi super est animus & corpus, hæc ipsa, quæ mihi de multis sola relicta sunt, vobis & vestræ condono potestati. Interdum non leue momentum habet, ad auditorem, siue iudicem, vel ad benevolentiam inclinandum vel ad misericordiam, si demonstremus nos omnem fiduciam in ipsius æquitate collocasse. Ex eodẽ fonte manat hoc Schema, quo & Cõmunicatio, vnde ei haud est absimile. Tale est & illud, Vobis iudices cogitãdum relinquo, quid hinc resp. detrimenti acceperit. Sunt ex Græcis, qui hoc Schema ὑπηρόπτην, alij συγχώρησιν siue συγχώρησιν appellari aiunt.

Licentia (παῤῥησία, loquendi libertas) est cum in oratione libertate veluti abutentes, authoritatẽ nobis & fidem cõciliare studemus. Præstat hæc ne offendat libertas: vnde & in hoc adhibetur, vt mitiget liberiùs dicta, ne offendãt auditorem, hoc modo: Ignoscite, si videbor æquo liberiùs dicere. Et, Si vos offendit sermo liberior, illis magis æquum est indignari, quorum improbitas, vt hæc dicerem, perpulit. Item: Si molesta est orationis acerbitas, cogitate graues morbos non sanari lenibus pharmacis.

Item:

Item: Durius loquor, sed huc me compellit vestri charitas. Dicam inuitus, nequaquam dicturus, nisi esset in rem vestram. Vsus est hoc schemate D. Pet. in actis: Viri fratres, liceat ad vos audenter loqui de Patriarcha Dauid, &c. Mitigatur etiam libertas illa loquendi extenuatione mali, aut admixta laude. Sic D. Paul. Galatarum crimen per se atrox eleuat, culpam reijciens in pseudapostolos, qui illorum imposuerant simplicitati, nec fraudem tamen sed fascinationem appellat. Latet interdū sub hoc Schemate Adulatio: Vt est illud Cic. Suscepto bello Cæsar, gesto etiam ex parte magna, nulla vi coactus, consilio ac voluntate mea ad ea arma profectus sum, qua erant contra te sumpta, &c. Hic non solùm ad vtilitatem Ligarij respicit, sed magis laudare victoris clementiā non potest. Ita Petrus Act. 2. & 3. Pro Ligario.

Auersio, ἀποστροφὴ, est cùm sermonem ab ijs, quibus loquebamur, auertentes, ad aliam personam seu præsentem seu absentem, vel iam olim defunctam conuertimus. Ita M. Tullius à Cæsare ad Q. Tuberonem sermonem flexit: Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat? &c. Virg. Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar. Item siquis de vanitate mundi verba faciens subiungeret: O munde, quàm blanda sunt, quæ promittis? quàm amara, quæ reddis? Et de peccato loquens exclamaret: O mendax peccatum! quàm dulcia pollicebaris initio, quanto nunc alia loqueris tuis cassibus inuoluto? Et Prudentius, O tortuose serpens, &c. In his personam rebus affingimus. Hoc Schemate vti licebit, cùm oratio feruet, & ad concitandos affectus mirè conducit, si in loco ac scitè adhibeatur. Et Fabius hanc figuram auditores vehementer mouere ait, siue cùm aduersarios inuadimus, vt in prædicto Ciceronis exemplo: Quid enim ille tuus Tubero, &c. Siue cùm ad inuocationem aliquam conuertimur: vt idem, Vos enim iam ego Albani tumuli atque luci, &c. Siue ad inuidiosam imploratione: vt, O leges Portiæ, legésque Semproniæ, &c. Geor. 2. Pro Milone.

Frequens

Frequens apud Ciceronem, ac nobile Schema.

Prosopopœia (προσωποποιία, Conformatio, Personæ fictio) est cùm rebus inanimatis personam, sermonem, aut actionem homini congruam tribuimus. Hæc imitatur Tropos, cùm res exanimes, veluti animatas transformat. Hoc modo, Prodicus, authore Xenophonte, virtutẽ finxit ad voluptatem: Horatius fortunam. Et Ouidius in hac mirus est M. Tullius patriam cum Catilina expostulantẽ inducit. Socrates apud Platonem in Critone leges fingit dissuadentes, ne se furtim subducat à carcere. Dauid Psa. 113. alloquitur mare, flumen, montes, & colles, atq; hos facit respondentes: A facie Domini mota est terra, &c. Similiter Baruch. 3. Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt, vocatæ sunt, & dixerunt, adsumus. Breuiter, hoc Schemate regionibus & vrbibus, alijsque rebus inanimis sermonem affingimus, tum ipsis virtutibus aut vtijs, similibusque rebus personam damus. Quin & hoc hominum absentium personas, quasi absint, introducimus. Etiam iam olim defunctos è sepulchris excitamus, ac veluti in scenam producimus. Deum denique ipsum ac diuos loquentes facimus. Ita Micheas Propheta, Deum introducit cum populo suo expostulantem. Hæc liberius fiunt in Poëmatibus, in Tragœdijs, Comœdijs, ac Dialogis. Plutarchus Gryllum procum cum Vlysse disputantem facit. Virgilius & Homerus famæ personam attribuunt. Ouidius somno ac terræ, &c. Plurimùm confert & ad varietatem & ad grauitatem orationis, tum auditoris animum vehementer excitat, modò rerum magnitudo postulet huiusmodi fictionem.

Lib. 1. Od. 25.

TERTII ORDINIS SCHEMATA: QVIbus non modò figuratur oratio, sed simul etiam tum verbis tum sententijs amplificatur.

Amplificatio triplex.

PRincipiò autem obseruandum, Amplificationis vocabulum triplicem apud Rhetores vsum habere, vt M. Veltkir-

Veltkirchius in ſecundum Eraſmi commentarium de Copia rerum annotauit. Primò in verbis eſt Amplificatio, cùm videlicet grauior quàm pro re ſignificatio ac maior Emphaſis deligitur, ſiue atrocius verbum proprij loco ſubijcitur. Vt cùm occiſum dicimus, qui ſit cæſus. Latronem, qui ſit improbus. Mutum, qui nihil reſponderit, &c. De qua in Copia verborum cap. 27. Secundò, in rebus ipſis, nempè cùm orationis corpus rerum varietate locupletatur ac figuratur, ſiue id duorum pluriùmue dictionum aceruo fiat, ſiue ſententiarum congerie, vt ſunt omnia huius tertij ordinis Schemata. Tertiò vſurpatur pro peculari huius ordinis Schemate eleganti ac ſplendido. De hac Amplificatione Fabius Libr. 8. cap. 4. & Eraſmus poſt eum in nona dilatandi ratione admodum clarè ac perſpicuè diſſerunt. Hæc mea quidem ſententia, à ſecunda ſignificatione parùm aut ferè nihil diſtare videtur, niſi quòd ſub hac quædam Schemata, veluti ſubiectæ ſpecies, comprenduntur, vt ſunt: Interpretatio, Incrementum, Congeries, Contentio, Comparatio, Correctio, & Ratiocinatio.

Interpretatio, συνωνυμία, eſt cùm multa verba eiuſdem fere ſignificationis eidem attribuuntur, hoc modo. Rempub. radicitùs euertiſti, ciuitatem funditùs deieciſti. Cic. in actione pro Ligario. Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? euius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? Quid cupiebas? quid optabas? Quia multæ hic voces ſunt idem fere ſignificantes, gladius, mucro, arma, ſenſus, mens, animus: cupiebas, optabas. Tum quod ſententiæ eodem ſpectantes, diſtringere in acie gladium, latus petere, ſenſus armorum. Ita Virg. Quid puer Aſcanius, ſuperátne & veſcitur aura Ætherea, nec adhuc crudelibus occubat vmbris? Nihil hîc aliud quærit, niſi an adhuc ſuperſit Aſcanius: ſed ex affectu rem eandẽ ter expreſſit. Poteſt & in

Fabio congeries verborum nominatus. Exegeſis.

in hunc modum definiri : Synonymia, eſt verborum aut ſententiarum rem penè eandem velut inculcantium multiplicatio. Hoc ſchema Eccleſiaſtæ frequenter vſui erit, quoties res poſcit affectum.

Incrementum, αὔξησις, Auxeſis, eſt quoties gradibus aliquot peruenitur non modò ad ſummum, ſed interim quodammodo ſupra ſummum, hoc modo: Verbis illum primò conuitiorum plenis adortus eſt, deinde ſtricto gladio multis vulneribus ſauciauit, tandem vulnere in tempora inflicto atrociter occidit. Ita M. Tul. in 5. actione in Verrem, Facinus eſt, vincire ciuem Ro. ſcelus verberare: parricidium, necare: quid dicam in crucem tollere? Hîc vltra ſummum peruentum eſt. Ad ſummum ſic: Matrem tuam occidiſti, quid dicam amplius? Matrem tuam occidiſti. Increſcit & citra diſtinctionem oratio, dum curſu quodam grauius grauiúſque ſemper aliquid inſequitur: vt, Pecuniam, honores, regnum, vitam denique patriæ charitate contempſit. Cic. in 2 Philip. de vomitu Antonij: Orem non viſu modò fœdam, ſed etiam auditu! Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? In cœtu verò populi Ro. negotium publicum gerens, Magiſter equitum, cui rutare turpe eſſet, is fruſtis eſculentis vinum redolentibus gremium ſuum, & totum tribunal impleuit? Hîc ſingulæ voces incrementum habent. Eſt & hoc incrementi genus, cùm tanquam per actionem inferiora quæ ſunt augemus, vt illa maiora videantur: vt, Hanc rem tam æquã, ſi quilibet ignotus abs te peteret, tamen ignoto recuſare non debebas: nunc orat pater, & pater ſic meritus.

Congeries, συναθροισμὸς, Congeruatio, eſt dictionum res varias ſignificantium enumeratio. Qualis eſt illud ad Rom. 1. plenos omni iniquitate, malitia, dolo, ſcortatione, auaritia, malignitate, contentione, &c. Differt à Synonymia, quia in hac vnius rei eſt multiplicatio, in illa multarum rerum congerines. Diſſidet quoque ab incremento, quòd

quòd hîc gradibus quibuſdam ab imo ad ſummum vſque peruenitur, illic abſque graduum ordine confuſè res variæ coaceruantur. D. Paulus ad Gal. 5. Fructus ſpiritus eſt, charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, temperantia. A Græcis etiam ἀνακεφαλαίωσις dicta id eſt, ſummaria percurſio ſiue collectio.

Contentio, ſeu contrarium, Græcè ἀντίθετον ſiue ἀντίθεσις, eſt cùm per contraria amplificamus: fit cùm ſingulis verbis, tum ſententijs: vt Seruabi, non extinxi. Habet aſſentatio incunda principia, eadem exitus amariſſimos adfert. Item: Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem præbes. Paulus Rom. 8. Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini, ſin ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Item. Litera occidit, ſpiritus viuificat. Item: In otio tumultuaris, in tumultu ſolus es otioſus. In re frigidiſſima cales, in feruentiſſima friges. Tacito cùm opus eſt, clamas: cùm loqui conuenit, obmuteſcis. Ades, abeſſe vis: abes, reuerti cupis. Hoc Schema cum primis elegans eſt, quo vix alio crebrius in varieganda locupletandáque oratione Oratores vtuntur. I. Cor. 1.

Comparatio, eſt quæ petit argumentum ab inferioribus, quæ ſi magna ſunt omnium opinione, maximum apparet neceſſe eſt, quod amplificatum volumus. Vel eſt Comparatio cùm à maioribus exaggeratis ſumitur coniectura de minoribus exaggerandis: hoc eſt, cùm minora maioribus, facilia difficilioribus, indigna multò indignoribus comparamus, vel etiam conferimus, non argumentandi, ſed tantùm ornandi gratia. Fit autem Comparatio vel fictione, vel exempli collatione. Fictione, quam ὑποτύπωσιν vocant, vt in prima parte exempli Cic. in incremento ſuprà commemorati: fingit enim hoc inter cœnam accidiſſe priuato. Eiuſdem eſt illud in Catilinam: Serui me herclè mei, ſi me iſto pacto metuerent, vt te metuunt omnes ciues tui, domum meam relinquendam putarem. Collatione exempli, quoties propoſito velut ſimili exemplo efficimus, M. Velt. kirch. In Antonij vomitum. Locus à mimore. Pauci ſerui contuli feruntur vniuerſis ciuibus.

mus,vt id quod exaggeramus,aut proximum illi,aut par, aut maius etiam videatur. Velut Cicero pro Cluentio, cùm exposuisset Milesiam quandam à secundis hæredibus pro abortu pecuniam accepisse: Quanto est,inquit, Oppianicus in eadem iniuria maiore supplicio dignus? Siquidē illa cum suo corpori vim attulisset,seipsam cruciauit: hic autem idem illud effecit per alieni corporis cruciatum. In hoc genere non solum tota totis, sed etiam partes partibus comparantur. Sicut Cicero pro Milone: An verò vir amplissimus Scipio, Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem Rempub.priuatus interfecit: Catilinam orbem terrę cæde atque incendio vastare cupientem,nos cōsules perferemus? Hic & Catilina Graccho,& status reip.orbi terrarum, mediocris labefactatio cædi,& incendijs, & vastationi, & priuatus consulibus comparatur. Fabius Comparationem Schema esse negat,cùm sit interim probationis,interim etiam causæ genus. At nihil vetat ex ijsdem locis peti Amplificationem aut ornatum,ex quibus petitur Probatio. Neque nouum est res eadem ad diuersos vsus accommodari. Fit præterea Comparatio interdum vno gradu, vt in exemplis iam dictis,interdum pluribus, & huius illud erit exemplum: Si quis homo gratis tibi donaret in singulos annos censum mille drachmarum,non hunc ex animo diligeres, ac pro virili tua gratiam referre studeres? Si quis hospes te suo ære redemisset è misera seruitute Barbarorum, aut è tetro carcere liberasset, an non eum verum adamares, ac per omnem vitam coleres? Si quis in prælio, aut in naufragio periturum sua virtute seruasset, an non eum hominem numinis loco coleres, professus nullam vnquam parem sibi gratiam abs te referri posse? Quæ igitur ingratitudo est,Christum Deum & hominem, qui te condidit nobilissimam secundum angelos creaturam, cui totum debes,quicquid habes: qui tibi præter corporis alimoniam gratis donauit iustitiam, gratis impartit sui spiritus

Lib.9. cap 2. fere in calce. Comparatio fit vno gradu & pluribus

ritus dona, qui pro te cum ſatana pugnauit, qui te totum non ære, ſed ſuo ſanguine redemit: qui ſuper hæc omnia ad cœleſtis regni conſortium inuitat; ſic negligere, auerſari, ſic quotidie criminibus offendere, ac pro tanta beneuolentia tantam contumeliam reponere? Hîc pluribus gradibus increuit oratio à minoribus. Ad Comparationem pertinere videtur & illud, cùm, quæ omnium opinione grauia ſunt, & à nobis exaggerata, rurſus extenuantur, collata cum eo quod augemus. Ita Cicero in Verrem. Leuia ſunt hæc in hoc reo. Metum virgarum Nauarchus nobiliſsimæ ciuitatis pretio redemit, humanum eſt: alius ne feriretur pecuniam dedit, vſitatum eſt. His dictis atrox quoddam & immane facinus expectat auditor, ad quod collata, quæ per ſe ſunt crudeliſsima, humana dicuntur & vſitata. De perſonis hoc erit exemplum: Omnium iudicio laudatiſsimus Imperator fuit Traianus, laudatior Antonius Philoſophus: at Imperator noſter Carolus hoſce multis paſsibus longóque interuallo a tergo relinquit. Item: Nero ſextus omnium conſenſu Princeps ſceleratiſsimus fuit, at hunc præ Turca humanum Principem diceres.

Alia cõparationis forma.

Iudas is now an honeſt man, &c. Eadem ratio valet in amplificandis virtutibus ac vitijs. Veluti ſi quis ad pietatem adhortetur, poſteaquam extulit cætera commoda, quæ pietatem comitantur, tranquillitatem mentis ſibi bene conſciæ, libertatem ſpiritus, habere pacem cum Deo, communionem cum omnibus ſanctis, pro ſeruo diaboli factum eſſe filium Dei, ſolatium ſpiritus, quod Propheta negat ab homine poſſe concipi, ſubijciat: Quid his maius? quod honorificentius? Quid felicius cogitari optariue poteſt? Et tamen hæc leuia videri poſſunt, ſi conferantur ad illam beatam immortalis vitæ hæreditatem, quæ certò manet omnes, qui hic pietatem colunt. Eadem ratione poterit augeri impietas: imò quicquid eſt fugiendum aut expetendum.

Cor-

Correctio, ἐπανόρθωσις, est quæ tollit quod dictum est, & pro eo, quod magis idoneum videtur reponit. Vel est, quę posteriori comitate prius positum emendat. Vt Theologus: imo Matæologus. Crudelis homo, at ne homo quidem. Cic. in Ver. Act. 3. Non. n. furem, sed raptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionúmque: non sicarium, sed crudelissimum carnificẽ, ciuium sociorúmque in vestrum iudicium adduximus. Idem Actione 7. O clementiam populi Ro. seu potius, patientiam miram ac singularem! &c. Politianus: Noui quanta propensione atque adeò inductione animi prouinciam duram, & inexplicabilem susceperis, &c. Particulæ huic exornationi idoneæ sunt, imò, imò potius, quin potius, atque adeò, siue potius, &c. Item: Quòd si hospites iste suos rogasset, imò iniisset modò, facilè morem gessissent. Item: Perfricuit ille frontem, imò nec frontem quidem habet. Rutilius μεταίσιον vocat. Est figura quædam cum primis elegans, huic cõfinis quæ sententiæ vim corrigit: hanc Rufinianus ἀφαίρεσιν, Fabius reprehensionem vocat. Vt Cic pro Mil. Quas ille leges, si modò leges nominandæ sunt, ac non potius faces vrbis & pestes reipub. Item: Punitus est quanquam illa non pœnâ, sed prohibitio sceleris fuit. Item. Ciues inquam, si hoc eos appellari nomine fas est.

Ratiocinatio, est per quam, rem coniectura à signo aliquo aut circumstantia sumpta amplificamus. Ex his enim, quæ sequuntur, aut antecedunt, aut coniuncta sunt, ratione quadam colligitur, quantum sit hoc, quod amplificatum volumus. Ex antecedentibus est illud Maronis de ventis ab Æolo emissis: Ac veni velut agmine facto, Qua data porta ruunt ac terras turbine perflant. Ex tam violenta omnium ventorum eruptione colligimus, quàm sæua sit futura tempestas in mari. Item: Ad genus humanum à Satanæ tyrannide liberandum, Deóque vindicandum, Dei filius factus homo crucis supplicium pertulit.

Hinc

Hinc ratiocinamur, quàm horrenda res ſit peccatum, quàm miſera ſeruitus mancipium eſſe Satanæ, quàm metuenda ira dei, quanta dei charitas erga genus humanũ, quòd tam admirabili ratione ſeruare voluerit. Exemplũ eſt ex antecedentibus, ſi ad nos referatur: ſi ad eos, qui ſeruatoris aduentum præceſſerunt, erit ex conſequentibus. Ex inſequentibus eſt illud M. Tullij de vomitu Antonij: Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate. Videntur hæc otioſè dicta, cùm fauces, latera, & gladiatoria corporis firmitas nihil faciãt ad ebrietatem: ſed nequaquam otioſè ſunt addita. Siquidem hinc ratiocinamur, quanto ſe vino ingurgitauerit in Hippiæ nuptijs Antonius, quòd illa totius corporis firmitas non potuerit concoquere, ſed vbi minimè decuit, vomitu coactus ſit eijcere, idque poſtridiè: nam recentem cibum aut potum erumpere, non vſque adeò rarum eſt. Item, ex eo, quòd Dauid tam dolenter defleuit interitum Abſolonis, colligimus quanta fuerit illius erga filium pietas, quem impium, & patri exitium molientem ſic deſiderauit. Ex Coniunctis videtur illud Maronis de Polyphemo: Truncã manum pinus regit & veſtigia firmat: graditúrque per æquor iam medium, nec dum fluctus latera ardua tinxit, &c. Hinc enim colligimus animo, quãta fuerit totius corporis magnitudo, cùm manus proſcipione haberet pinum arborem. Item ex illo quod Euangelica peccatrix inuocata irrupit in conuiuium ſuperborum Phariſæorum, illis ſpectantibus vnxerit pedes Ieſu, ac lachrymis rigatos, capillis ſuis exterſerit, æſtimamus quanta fuerit illi pœnitentia, quæ pudorem ac metum omnem excuſſerit fœminæ.

Obſeruatiuncula.

Prædicta hæc Schemata communi Amplificationis nomine appellare licebit.

Diminutio, μείωσις, eſt qua perſonam vel noſtram aut rem aliquam venuſtatis, ſiue modeſtiæ, aut contemptus,

Diminutionis vsus triplex.

interim etiam perſuadendi ac mitigandi gratia extenuamus. Hæc Amplificationi ac eius ſubiectis formis, paulò antè præſcriptis, ex diametro diſſidet. Quantum vtimur, cùm nos noſtros ac noſtra verecundè, modeſtè, & quaſi 1 diſſimulanter, arrogantiæ ac odij vitandi gratia, eleuamus. Præterea, cùm aduerſarij perſonam, aut rem in contemptum rapere ſtudemus. 2 Poſtremò cum rei alicuius 3 perficiendi difficultatem extenuari ac amoliri percupimus. Eſt autem duplex Diminutio, verborum ſcilicet ac rerum. Ad verborum Diminutionem pertinent Hypocoriſtica contemptus ac blanditiarum: vt homuncio, plebecula, fraterculus, atque alia, quæ vilitatem ac probrum ingerunt. Vt Cicero, hominem ſemiſſem, terræ filium. Virgil. Semiuirum comitatum, Catullus percacatas chartas vocat. Huc pertinent mitigandi, ſiue extenuandi loquutiones: veluti quoties læſiſſe dicimus eum, qui vulnerauit. Item, attigiſſe eum, qui colaphum infregit. Ita in ludo ſe coram præceptore excuſare ſolent, **I did but ſcarce touch him, when he ſmote me, that he tumbled me to the ground.**

Diminutio duplex

Diminutio verborum.

Æne. II.

Hoc pacto Euander Virgilianus ſuper morte Pallantis: Nec vos arguerim Teueri, nec fœdera, nec quas iunximus hoſpitio dextas: ſors iſta ſenectæ Debita erat noſtræ. Præterea quoties vitium nomine vicinæ virtutis eleuamus: Veluti, cum crudelem appellamus paulo ſeueriorem: imprudentem ſimpliciorem: adulatorem, comem ſiue affabilem: corruptam licentia ciuitatem, liberam, &c. Porrò Diminutio rerum iuſta ſententia ac oratione perſonam, aut rem extenuat, totidem fere modis, quot formis amplificatio auget in contrariũ ferè ſumptis.

Diminutio rerũ.

Decrementum.

Prima diminutionis forma, eſt per Decrementum, quo à maioribus antea extenuatis minora deinde haud difficulter eleuantur. Sic Hannibal in primo de bello Punico ſecundo, in cõcione, qua militibus ſuis Alpium iuga perhorreſcentibus, ad ea ſuperanda animum adderet, earũdem

dem Alpium difficultatem atque adeò impeditiſſimum iter ita extenuauit, illis ob oculos ponens inexhauſtos ac periculoſos itineris labores, quos ab occaſu in ortum vſque per Hiſpanias, ſaltum Pyrenæum, ferociſſimas Gallorum gentes, ac Rhodani traiectum, forti animo ac victrici manu exantlarint; tum Alpes habitari, coli, gignere, ac alere animantes, legatos quos cernant, non pennis ſublime elatos; Alpes tranſgreſſos, nullas montium altitudines cœlum contingere, nec inexuperabiles humano generi eſſe, &c. Secunda forma fit per comparationem in hunc modum Cicero artem militarem, qua Murena præſtitit, ſcientiæ iuris ciuilis quæ Seruio Sulp. familiaris fuit, anteponit. Hac extenuatione & Chriſtus vti videtur, cùm omnes homines adhortatur, vt excuſſo mundi iugo prima quidem ſpecie blando, ſed re vera longe miſerrimo moleſtiſſimóque, iugum ſuum, quod facile, commodum, humanum, ac blandum ſit, ſubire velint. Siquidem mundi cultores hoc Chriſti iugum vt inſuauiſſimum ac moleſtiſſimum, cane peius & angue abhorrent, vt eſt in prouerbio: at Seruator noſter illud ſuis multis hîc gratiarum charismatis, certa ſpe præmiorum, immortalitatis ac vitæ cœleſtis promiſſione ſuaue leuéque reddidit. Tertia forma fit per ratiocinationem, vbi contemptum efferimus rei ex aliquo ſigno circumſtantiáue minore, quæ ſit priore leuior. Vt ſi quis diceret quempiam Thraſonem, militem in caſtris adeò militariter ſtrenuum ac fortem, vt crepitum foliorum, atque adeò vmbram ſuam metuat. Quarta forma eſt congerics, cùm multa, quæ vilitatem ac contemptum præ ſe ferunt, coaceruamus: vt, Conuitia, probra, contumelias. Sicut Menedemus inquit, In me quiduis horum conuenit, caudex, ſtipes, &c. Ita Chriſtus à perfidis Iudæis audiuit Dæmoniacus, Samaritanus, δαιμόνιον ἔχεις, καὶ σαμαρίτης, τελωνῶν φίλος καὶ ἁμαρτωλῶν. M. Tullius mirus eſt artifex tam in extenuando quàm in amplificando, etiam in modeſta, ciuili, verecunda, diſſimulato-

Diminutio comparationis. Pro Murena.

Iugum Chriſti eſt vita Euangelio digna.

Diminutio per ratiocinationem.

Diminutio per congeriem.

Cautio in extenuatione obseruanda.

mulatoriáque diminutione. Illud in diminutione cauendum, ne sit acerbior atque amarulentior, qua nihil est apud honestos viros odiosius. Multò etiam efficacior ac gratior est extenuatio offensiòque ironica, veteratoria ac dissimulatrix irrisio, quàm aperta nimis atque irata illa insectatio. Irrisiones. n. Syri multò sunt gratiores in Demeam, quàm Demeæ Tragica conuitia. Et Cicero falsè plerunque in aduersarios ludere solet. Quàm comiter Græculos testes, illorúmque testimonia eleuat in oratione pro L. Flac. Compulura ubi Fab. lib. 6. cap. 4. de risu & facetijs suppeditabit.

Gradatio, κλῖμαξ, est cùm consequentia membra ab ijsdem ordiuntur verbis, casu plerunque mutatis, quibus antecedentia clauduntur: vel est, quoties ita per gradus oratio distinguitur, vt dictio finiens particulam præcedentem inchoet sequentem, hoc modo: Nam quæ reliqua spes libertatis manet, si illis & quod libet, licet: & quod licet, possunt: quod possunt, audent: & quod audent, faciunt: & quod faciunt, nobis molestum non est? Item: Aphricano industria virtutem, virtus gloriã, gloria æmulos comparauit. Ad Rom 5. Scientes quòd afflictio patientiam pariat, patientia verò probationem, probatio autem spem, porrò spes non pudefacit, &c. Item Ver propellit æstas, æstatem excipit autumnus, autumno succedit hyems. Item: Pueritiam excepit adolescentia, adolescentiam iuuentus, iuuentutem ætas virilis, virilem ætatem senectus, senectatem mors, mortem immortalitas. Item negligentia parit errorem, error lapsum, lapsus flagitium, flagitium consuetudinem, consuetudo impudentiam, impudentia mentem reprobam, mens reproba desperationem. Tale est illud Pauli, Caput mulieris vir, viri caput Christus, Christi autem Deus. D. Ioan. Euangelista minè hoc Schemate delectatus est. In principio erat verbum, &c. Habet hoc schema multum lepôris, venustatis, ac iucunditatis: facit ad acrimoniam quòq;, si per correctionem

rectionem aut amplificationem fit. Per correctionem illud eſt Ciceronis: Hic tamen vixit: vixit? imò etiam in ſenatum venit. Per amplificationem ſic: Occidiſti amicũ, amicum (inquam,) occidiſti: & occidiſti non ferro ſed veneno: veneno autem omnium præſentiſſimo linguæ, linguæ tartareo veneno intinctæ. Vſus illius etiam eſt haud inuenuſtus, quãdo res gradus habet, velut in genealogiis recenſendis, aut in ſerie magiſtratuum ſibi ſuccedentiũ. Exemplum eſt apud Homerum non inelegans de ſceptro, quod à Ioue ad Agamemnonem vſque deducit. Gradationis vſus. Iliad. 6.

Commutatio (*Fab. ἀντιστροφὴ*, Sulpitio Victorino *μετάθεσις*) eſt cùm inuertitur aliqua ſententia per contrariam. Vt, Eſſe oportet vt viuas, non viuere vt edas. Cuiuſmodi poëmata volebam facere, non poſſum: cuiuſmodi poſſum, nolo. Si poëma loquens pictura eſt, pictura tacitum poëma debet eſſe. Item: Non poſſidet pecuniam, qui ſeruit pecuniæ, ſed cui ſeruit pecunia. Item: Non homo propter Sabbatum, ſed Sabbatum propter hominem factum. Item illud Lacenæ, quæ rogata an ad virum acceſſiſſet: Non, iniquit, ſed ille ad me. Item: Si quid turpe faias cum voluptate, voluptas abit, turpitudo manet: ſi quid honeſtum facias cum labore, labor abit, honeſtum manet. Ad Rom. 1. Si circumciſio præuaricatoris præputium ſit, conſequitur, vt præputium legis obſeruans fiat circumciſio. Ariſto. Beati quorum fortunæ ſapientia, & quorum ſapientiæ fortuna ſuppeditat. Et hæc fiunt enthymemata. Nam Rhetori Enthymema ex contrariis conſit. Mar. 8. Plutar. in Apoph.

Synæcioſis, *συνηκείωσις*, eſt cùm contrarium contrario tribuitur, vel quando duæ res diuerſæ ſimul colliguntur. Vt, Idem peccant prodigus & auarus, quia neuter rebus rectè vtitur. Sic labor eſt etiam ipſa voluptas. Item: Tam deeſt auaro quod habet, quàm quod non habet. Ex Mimis P. Syri.

Regreſſio, *ἀνάκαμψις*, eſt cùm ſemel propoſitum iteratur, ac diuerſum quiddam in partibus diuiſis ſignificatur.

Virg. Æneid. 2. Iphitus & Pelias mecum, quorum Iphitus æuo Iam grauior, Pelias & vulnere tardus Vlyſſi. Itē: Vicerunt Romani, vicerunt mari Carthaginenſes, terra Gallos. D. Paulus 2. Cor. 2. Chriſti odor ſumus Deo, alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam.

Occupatio, Præteritio, Paralepſis, παραλειψις, eſt cùm ſimulamus nos aliquid præterite, aut non ſcire, aut nolle dicere, quod tum maxime dicimus: vel cùm tranſcurſu dicimus, quod nos velle dicere negamus. Pertinet ad eam Amplificationis ſpeciem, quæ fit per comparationem. Nam ſi per ſe magna ſunt, quæ dicimus nos nolle commemorare, vt citius ad id quod grauius eſt perueniamus, increſcit illud, cuius comparatione illa negligimus. Vt, Non hic cōmemorabo quàm breuis, quàm incerta, quot malis hæc vita ſit obnoxia, quot expoſita periculis: vt horum nihil ſit, quid eſt, niſi ſomnium, ſi ad illam cœleſtem vitam comparetur? Rurſus: Non eſt mei pudoris occultorum ſcelerum lernam mouere, ſinam domeſticas illorū ſordes in tenebris latere, ſatis eſt ipſos ſibi conſcios eſſe; de manifeſtis tantum loquar, quæ nemo neſcit, & de quibus ipſi tantum non gloriantur. Pudet me dicere, quod iſtos non pudet facere. Venit ad nos paſtor, pene dixeram depaſtor. Hæc ſunt edicta Regis, nolim etiā dicere tyranni. Item: Non dico te à ſocijs pecunias accepiſſe, non ſum in eo occupatus, quòd ciuitates, regna, domus omnium depeculatus es; furta, rapinas omnes tuas omitto, &c.

Præſumptio, Præoccupatio, προληψις, & προκαταληψις, eſt cùm id quod obijci poteſt prius quàm obijciatur anticipamus. Id neq; in alijs partibus Rhetoricæ orationis parum eſt, ſed procemio præcipuè conuenit. Ita Cicero in prœmio Milonianæ cauſæ, & pro Archia Poëta. Et cœleſtis Orator D. Paulus ad Rom. 3. Cùm antè tum gentes tum Iudæos accuſauerat pariter peccati, præoccupauit quæſtionem: Quid igitur intereſt inter Iudæos & gentes?

gentes? Schema est omnibus scriptoribus necessarium, vt consilia, cogitationésq; hominum apud sese dispiciant.

Transitio, μετάβασις, est cùm paucis monemus quid dictum sit, & quid postea simus dicturi. Fabius Interfationem vocat: An vnderstanding. Docenti peraccommoda est; reuocans in memoriam quod dictum est, & paucis ostendens quid sit dicendum: Hoc modo: Audistis quæ antè acta sunt, accipite nunc quæ insequúntur. Huius octo sunt formæ. Sumitur enim aliquando ab æquali: vt, At erant hæc iucundissima, neque minus voluptatis attulerunt illa: Interdum ab inæquali: Sed hæc vtcunque ignoscenda, illud quis ferat? Audistis grauissima, sed audietis grauiora. A simili. vt, Hæc perfida designauit, cuius generis sunt & illa, quæ nuper Romæ patrasse dicitur. A contrario: Sed hæc priuatim, nunc quæ publicè. Hactenus quæ domi gessit, nunc quæ sub signis. Sed hæc iuuenis peccauit, nunc senis virtutes audietis. Adiuerso: De moribus habes, nunc de doctrina reliquum est vt dicamus: Quasi per occupationem: Iam ad reliqua properabimus, sed si priùs illud vnum adicerimus. Per reprehensionem. Verum de his plus satis. Quorsum nos transuersos abripuit dolor? ad rem redeamus. Quid his immoror? ad id quod est huius causæ caput festinet oratio. A consequentibus siue relatiuis; Habes quid in illum contulerim beneficiorum, nunc quam gratiam mihi retulerit audi. Quid policitus sit expositum est nunc: quid ille præstiterit paucis accipite. Lib. 4 cap. 2. De narration In cop veboru cap. 93. 1 2 3 4 5 6 7 8

Causa, αἰτιολογία, est cùm propositi alicuius statim causam subijcimus. Cic. pro Archia poëta, statim ab initio: Si quid est in me ingenij, aut siqua exercitatio dicendi, &c. vendicabit iure Archia. Causa: Fuit enim mihi princeps ad suscipiendam rationem horum studiorum, &c. D Pau. cap. 8. Caro non implet legem. Nam qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt affectant.

Confessio, παρομολογία, est cum multa aduersario con-

ceſſimus, ac vnum tandem inferimus, quod omnia prius conceſſa euertit: hoc modo. Eſto ſanè, fueris illi alioquando amicus, eodem vſus præceptore, in vno eodémq; verſatus contubernio, iiſdem ſtudiis addictus, deambulationis individuus comes, ſecretorum denique omnium conſcius: quid tum? an non hæc omnia amicitiæ indicia hoc vno facinore nuper adeò turpiter per te deſignato intermori, atque adeò tota inter vos gratia diſſilire potuit? Vſurpatur in coniecturalibus, & argumentum verius eſt quàm ſchema. At in confeſſo eſt, vnam eandémque rem ad diuerſa accommodari poſſe.

Excuſatio.

Dicæologia, δικαιολογία, eſt cùm æquitatem cauſamur, & noſtram cauſam vt æquam defendimus, hoc modo: Lapſus ſum; ſed adoleſcens, ac inter hos verſatus, inter quos non potui non corrumpi. Ita. Æneid. 1. Furor arma miniſtrat. Alii συγγνώμην vocant. Tale eſt ἀναγκαῖον apud Rut: vt, Amicum deſerui, ſed coactus à legibus: conſeruaui amicitiæ fidem, cordi meo velut trabali clauo infixam, dum per leges licuit: nunc ab illo alienauit me non voluntas, ſed legum vis.

ἀναγκαῖον. Quod aliter fieri non poteſt. ἀναγκαῖον.

Definitio, ὁρισμὸς, eſt qua rei alicuius proprias amplectimur poteſtates breuiter & abſolutè. Hic notabis puer, non omnem finitionem eſſe ſchema, ſed ferè illam quam Dialectici κατασιασμὸν vocant, quando videlicet in vocabulis differentia quæritur, hoc modo: Non eſt iſta diligentia, ſed auaritia: ideò quòd diligentia eſt accurata conſeruatio ſuorum, auaritia iniurioſa appetitio alienorum. Item: Non eſt iſta fortitudo, ſed temeritas: propterea quòd fortitudo eſt contemptio laboris & periculi cum ratione vtilitatis, & compenſatione commodorum: temeritas verò eſt, cùm inconſiderata laborum perpenſione gladiatoria periculorum ſuſceptio. Item, Iſte rex non eſt, ſed tyrannus, quod rex religioni ſtudet, ſubditorum mores emendat, illorum vtilitati ac reip. tranquillitati omnibus modis conſulit: iſte verò ſuum curat, & omnia

Alias perfectione.

omnia ad ſuum ipſius non ſubditorum commodum refert, id quod tyranni proprium eſt. Item, Non eſt repudium, ſed diuortium: quòd illud quidem fit, cùm futuri matrimonij ſponſalia diſſoluuntur: hoc verò, cum inter coniuges nuncium mittitur, vt diuortant. διαβόπωσις.

Hypotypoſis, ὑποτύπωσις, eſt quando perſona, res, locus, tempus, aut aliud quippiam, tum ſcribendo tum dicendo verbis exprimitur, vt cerni potius ac coram geri, quàm legi, quàm audiri videatur. Hæc etiam ἐνάργεια, Enargia, Euidentia, Illuſtratio, Suffiguratio, Demonſtratio, Deſcriptio, Effictio, Subiectio ſub oculos appellatur. Hoc ſchema ad orationis euidentiam, ad iucunditatem, ad quoſcunq; etiam affectus mouendos confert. Adhibetur autem vel amplificandi, vel ornandi, vel delectandi gratia. De hoc ſchemate D. Eraſ. Comment. de Copia 3. cap. 5. diligentiſſimè ſcripſit. Sub hac hypotypoſi comprehenduntur Proſopographia, Proſopopœia, Pragmatographia, Topographia, Topotheſia, & Chronographia. Deformatio.

Proſopographia, προσωπογραφία, Effictio, eſt cùm perſona hominis tum veri, tum tabuloſi à forma, à corporis habitu, à moribus, ac alijs circumſtantijs, ad id quod agit appoſitis, veluti pictura quadam deſcribitur, atque ob oculos ponitur. Exempla vera ab Hiſtoricis, ab Oratoribus: fabuloſa à Poëtis petenda ſunt, qui hæc affatim ſuppeditabunt.

Proſopopœia, προσωποποιία, eſt cùm rei ſenſu carenti ac mutæ perſonam eidem idoneam fingimus. Cuiuſmodi ſunt Stultitiæ apud Eraſmum, Virtutis ac voluptatis, quas Prodicus Sophiſta apud Herculẽ inter ſeſe decertantes facit, vt author eſt Xenophon. Item Mortis ac vitæ, quas Enn. in Satyra contendentes inducit, teſte Fab. Item Calumniæ apud Lucianum, apud eundem Eruditionis & Statuariæ: Occaſionis apud Auſonium: Fortunæ apud Hor. & Q. Curtium. Cupidinis apud Moſchum:

Penias

Penis & Pluti apud Ariſtophanem: Iuſtitiæ apud Chryſippum, referente Gellio: Philoſophiæ apud Boëtium Seuerium: Lamiæ apud Politianum: Virtutum ac Vitiorum pugnam apud Prudentium. Item, Muſarum, Gratiarum, Furiarum, Bellonæ, Sphingis, Scyllæ, Charybdis, ac ſimilium apud Poëtas. Et de hac quoque ſuprà dictum eſt.

Pragmatiographia, πραγματογραφία, rei deſcriptio, eſt cum id quod fit aut factum eſt, omnibus fucatum coloribus ob oculos ponimus, vt auditorem ſiue lectorem iam extra ſe poſitum, velut in theatro, auocet. Veluti ſi quis expugnatam ciuitatem dicat, cuncta nimirum in ſumma complectitur, quæcunque talis fortunæ recipit, vt Fabius ait: At ſi aperias hæc, quæ vno verbo incluſa erant, apparebunt effuſæ per domos ac templa flammæ, & ruentium tectorum fragor, & ex diuerſis clamoribus vnus quidam ſonus: aliorum fuga incerta, alij in extremo complexu ſuorum cohærentes: & infantium fœminarúmque ploratus, malè vſque in illum diem ſeruati fato ſenes, tum illa prophanorum ſacrorúmq; direptio, efferentium prædas, repentiúmque diſcurſus, & ante ſuum quiſque prædonem catenati, & conata retinere infantem ſuum mater: & ſicubi maius lucrum eſt, pugna inter victores. Licet enim hæc omnia complectatur Euerſio, minus eſt tamen totum dicere quam omnia. Hactenus Fab. Huiuſmodi exemplorum nuſquam non magna copia: præſertim apud Poëtas, & Hiſtoricos Poëtis proximos. Hoc tamen genus deſcriptionis præcipue conſtat circumſtantiarum explicatione, earum præſertim, quæ rem oculis maximè ſubijciunt, ac moratam reddunt orationem. Sũt preterea deſcriptiones turbinum, tempeſtatum, aut naufragiorum, &c. Reliqua in copia rerum.

Meta. 11. Meta. 12. Meta. 3. *Topographia*, τοπογραφία, eſt vera, dilucida, ac ſignificans locorum deſcriptio. Ab hac frequenter narrationem ſumitur exordium, non à Poëtis modò, verumetiam ab Hiſtoricis:

ſtoricis: & apud Oratores nonunquam incidunt. Huius generis eſt, quoties tota loci facies veluti ſpectanda depingitur: Vt vrbis, montis, regionis, fluminis, portus, villæ, hortorum, amphitheatri, fontis, ſpecus, templi, luci. Vt eſt Carthaginis & portus apud Maronem deſcriptio: apud Plinium in Epiſto. Laurentis villæ: apud Statium Surrentinum Polij, & Tiburtinum Manlij, &c.

Τόποθεσία, τοποθεσία, eſt ficta ac fucata loci depictio, cùm locus aliquis ponitur, qui nuſquam terrarum eſt. Vt eſt ſedes Somni apud Ouid Domus Famæ, & regia Solis apud eundem. Interorum & Caci domus apud Virg. Tænari apud Statium. Domus apud Lucian. Regia Pſyches apud Apuleium, &c. Æn. 6. Aſino aureo, à fronte.

Chronographia, χρονογραφία, eſt aperta ac circumſtantijs colorata temporis deſcriptio. Vnde non rarò narrationis ſumitur initium. Nonnunquam delectandi duntaxat gratia adhibetur: velut, quoties poëtæ diem, noctem, auroram, aut crepuſculum exprimunt. Quanquam ne hæc quidem omnio otiosè debent adhiberi. Quod genus eſt illa Virgiliana: Nox erat, & placidum carpebant feſſa ſoporem Corpora per terras, ſyluæque & ſæua quierunt Æquora, cùm medio voluuntur ſydera lapſu: Cùm tacet omnis ager, pecudes pictæque volucres: Quæque lacus latè liquidos, quæque aſpera dumis Rura tenent, ſummo poſitæ ſub nocte ſilenti Lenibant curas, & corda oblita laborum: Pertinet enim hæc nocturnæ quietis deſcriptio ad amplificandum Didonis dolorem, quæ ne tum quidem conquieſcebat, cùm cætera omnia quietem agerent. Nam mox ſequitur: At non infœlix animi Phœniſſa, nec vnquam ſoluitur in ſomnos. Veris, hyemis, autumni, æſtatis, vindemiæ, iuſtitij, ſaturnalium deſcriptiones, ad hoc genus pertinent, quæ ſæpenumerò valent & ad probationem. Mixtæ ſunt illæ, quoties temporum qualitatem exponimus, puta pacis, belli, ſeditionum, factionum, Monarchiæ, Democratiæ, &c. Æneid.

Obſer-

Absoluta Hypotypôsis est, quæ speciebus illius iã dictis omnibus constat. Qualis est Horatij Satyra 1. lib. 1. In ea Hor. primò locum exquisiarũ describit: deinde tempus: tum Priapi ac Maleficarum personas, postremò & sacrificium, & fugam crepitu territarum mirè exprimit.

Expolitio, Ἐξεργασία, est cum idem, sed aliis subinde verbis, orationibus, sententijs, figuris, auctum dicimus. Et est duplex, scilicet verborũ & rerum. Verborum expolitio, interpretatio dicitur, & Συνωνυμία, quia de supra 69. Expolitio rerum, est cum vnam atq; eandem rem alijs atq; aliis modis tractamus, & in ea hæremus, ac immoramur: ita tamẽ, vt aliud atq; aliud dicere videamur D. Erasmo non tam schema est, quám argumentandi genus. Et reuera expolito nihil ferè aliud esse videtur, quam expolita probatio, vel argumẽtatio explicata. Porrò copiosissima expolitio septem constat partibus: Propositione, ratione, duplici sententia, cui ratio item duplex subijci potest, cõtrario, simili, exemplo, & conclusione. Exemplum erit huiusmodi: Sapiens nullum pro Repub. vitabit periculũ. Ideò quod sæpè fit, vt cum pro Repub perire noluerit, necessario cum Repub pereat. Et quoniam sunt omnia cõmoda à patria accepta, nullum incommodum pro patria graue putandum est. Ergo qui fugiunt id periculum, quod pro Rep. subeũdum est, stultè faciunt. Nam neque effugere id possunt, & ingrati in ciuitatem reperiuntur. At qui patriæ pericula suo periculo propellunt, hi sapientes putandi sunt. Cùm & eum quem debent honorem reipublicæ reddunt, & pro multis perire malunt, quam cum multis. Etenim vehemẽter est iniquum, vitam a natura acceptam per patriã cùm seruaueris, natura cùm rogat reddere, patriæ cũ roget non dare. Et cum possis cum summa virtute ac honore pro patria interire, malle per dedecus & ignauiam viuere: pro amicis & parentibus, ac cæteris necessariis, adire periculum cùm velis, pro repub. in qua & hoc illud sanctissimũ patriæ

Propos. Ratio 1. Ratio 2. Sententia 1. Ratio. Sententia 2. à cõtrario. Ratio 1 Ratio 2. à cõtrario. Ratio. 3. Ratio 4.

9

triæ nomen continetur, nolle in discrimẽ venire. Itaq; vti cõtemendus est, qui nauigando se quã nauim manuleincolumem: ita vituperandus, qui in reipublicæ discrimine suæ saluti plus quam cõmuni consulit. Naue fracta multi incolumes fuerunt: ex naufragio patriæ, saluus nemo potest nãtare. Quod mihi videtur Decius intellexisse, qui se deuouisse dicitur, & pro legionibus se in hostes immisisse medios. Vnde vita amisit, non perdidit. Re enim vilissima maximã redemit: vitã dedit, accepit patriam, amisit animã, potius est gloria, quæ cum summa laude prodita vetustati, quotidie magis enitescit. Quod si pro Rep. debere accedere periculum, & ratione demonstratum est, & exemplo cõprobatum, hi sapientes sunt existimandi, qui nullum pro salute patriæ periculum vitant. Reliqua libri Rhetoricorum ad Herẽnium quarto: in copia rerum capite 10. Et in commentariis M. Velikirchii.

Simile.

Collatio similitudinis.

a maiori Exemplum.

Sententia.

Ratio sententiæ.

Conclusio.

Distributio, μερισμὸς, est cùm genus, vel totum, vel subiectum, per enumerationem specierum, partium siue accidentium dilatamus. Nascitur hoc schema à loco generũ ac specierum, totius ac partium. Prima est locupletãdi ratio in 2 Commentario Erasmi de Copia rerum: vt, Rem vniuersam luxu perdidit. Illud totum, per plurimas possessionum formas amplificare licebit, hoc modo: Quicquid vel patris vel matris nomine hæreditati obuenerat, quicquid aliorum affinium morte aduenerat: quicquid ex vxoris dote, quæ quidẽ neutiquã erat vulgaris, accesserat: quicquid ex legatis accreuerat (accreuerat autem permultum) quicquid ex principis acceperat liberalitate: quicquid peculii castrensis conflauerat: pecuniam omnẽ, vasa, vestes, fundos, agros, vnà cum ipsis & villis & pecoribus, breuiter, rem omnem stu, mobilem seu soli, deniq; familiam etiam ipsam, fœdissimis scortorũ amoribus, quotidianis commessationibus, sumptuosis obsonationibus, nocturnis perpotationibus, popinis, cupedijs, vnguẽtis, alea, lusibus, paucis diebus ita absumpsit, abligurijt, absorbuit

vt

vt ne teruntium quidem sibi reliquum fecerit. In hoc exemplo proposuit Erasmus primò propositionem, totũ cõplectens, deinde partiũ enumerationem, postremò complexionem propositioni Synonymam, sed per partes explicatam atque diductam. Item apud Ciceronem pro lege Manilia insignis est virtutum enumeratio, quæ in Imperatore requiruntur. Et in Catilinaria coniuratione diuersi generis homines recensentur. Hoc Schema à Cicerone li. ad Heren. 4. ab Erasmo item in Eccl. li. 3. ita definitur. Distributio est quæ singulis personis aut rebus dispertitur, quæ cõueniunt. Vel cum in plures res aut personas negotia certa quędã dispertiuntur. Hæc non parũ adfert decoris orationi, si cõmoda accedat breuitas, præsertim in præcipiendo: vt Principis est toti Reip. prospicere: Procerum salubribus consilijs Principis sollicitudinẽ adiuuare: Magistratuum est, iniunctum munus bona fide gerere: Populi est, Principis ac magistratuũ imperata fideliter obire: Episcoporum est, quæ ad pietatem faciunt modis omnibus promouere: Monachorum pro salute omnium deprecari Dominum. Congeminatur schematis gratia, si aliud accedat schema. vt, Otio corrumpitur ingenũ, industria crescit & augescit. Frugalitas seruat rem, luxus dissipat. Diuitiæ docent arrogantiã, paupertas modestiæ magistra est. Imperitia cõfidentiã parit, eruditio timidos reddit. Ceremoniæ superstitionem alunt, fides & charitas pietatem.

Alia figuritio.

Diuisio, διάιρεσις, est quæ rem à re submouens vtramque subiecta ratione absoluit, hoc modo: Cur ego nunc tibi obijciam quicquã? si probus es, non meruisti: sin improbus, non cõmoueris. Itẽ: Vel auaritia impulit, vel inopia: non auaritia, à quo vitio semper alienum declarat vitæ ratio: non inopia, quia large suppetunt facultates. Item: Quid nunc ego de meis proprijs meritis prædicem? si meministis, obtundam; si obliti estis, cùm re nihil egerem, quid est quod verbis proficere possim?

Sermocinatio, διαλογισμὸς, est quæ cuique personæ sermonem

nem affingit congruentē cum decoro. Veluti viro forti, tyranno, ſeni puero, iuueni, &c. Definitur & hoc modo: Sermocinatio eſt, cum aptè perſonam aliquam loquentē fingimus. Tales ſunt paſsim apud Hiſtoricos cōciones, vt in T. Liuio & alijs eſt cernere. Itē: Si nunc patres orthodoxi qui vitæ innocētia, & mūdana diuinaq; eruditione claueruūt, in hanc vitā reuocarentur, ac corruptiſsimos hominū mores & præpoſterā Chriſtianorū religionem viderent, nónne mox proclamarēt: ô tempora, ô mores, ô curuæ in terris animæ, & cœleſtiū inanes! vultiſne vos de Chriſtiano nomine gloriari? vbi vera fides? vbi ſyncera charitas? vbi Chriſtiana pietas? vbi deniq; legū ac præpoſitorū reuerētia? nec vllus inter vos dogmatū conſenſus, ſed velut in diſſono choro ſuā quiſq; canit cātionē. Vbi Epiſcoporū ac Paſtorū Eccleſiarū charitas illa triplex, quā à D. Petro ſtipulatus eſt Chriſtus, ouium curā illi demādaturus? vbi Sacerdotū ſobrietatis & caſtitatis amor? vbi tandē populi voluntas obtēperandi præceptis Chriſti, ac promptitudo obſequendi ijs, quibus Deus ipſe habenas Reip. adminiſtrādas demandauit? Quid dicemus? Verbo tenus quidem vos Chriſtianos eſſe, vita plus quàm Ethnicos, &c.

Sententia, γνωμὴ, eſt quæ cōmoda breuitate demōſtrat, quid in vita ſit agendū, aut quid fieri ſoleat. Variatur hoc genus per omnes figuras: & ſi in loco aptéq; interſerantur, velut emblemata ſeu gēmæ potius, multiplicē cōmoditatē adferūt orationi, fidē & authoritatē, dignitatē, iucūditatē & acrimoniā. Cauendū tamen ne nimiū ſint crebæ: honeſtior enim veſtis eſt gemmis diſtincta, quā tota gemmis operta; præterea ne futiles ſint, aut ſtultę, nec palam falſę, ne quouis loco infulciantur. Nā vt magni refert, quas gēmas, quo in loco inſeras, ita plurimum intereſt, quod ſententiæ genus vbi intertexas. Vitandum & illud, ne præter decorū adhibeantur. Abſurdū enim fuerit, ſi quis adoleſcētulo aut lenoni graues ſentētias, aut in re ludicra leuiq; Stoicorū adhibeat paradoxa. quiſquis ſētētias dicit, quodā

modo

celebrib. authoribus proferuntur, in primis mouent. Porrò præcipua sententiarum genera octuplicia sunt. Primum, quod Vniuersale vocant, nullis circumstantiis implicitum: vt, omnes sibi melius esse malunt, quam aliis. Secundum, quod ad rem refertur: vt, Nihil est tam populare, quam bonitas. Tertium ad personam relatum: vt, Princeps, qui vult omnia cognoscere, necesse habet multa ignoscere. Quartum simplex est, cui nihil admiscetur: vt, Nihil tenacius hæret, quàm quod pueri didicimus. Item, Non est fidendum percontatori, quia garrulus idem. Quintum est geminatum: vt, Obsequium amicos, veritas parit odium. Sextum, quod ex duabus sententiis diuersis confit: vt, mors misera non est, aditus ad mortem est miser. Septimum genus, sententia est recta, nihil habens tropi, aut alterius schematis: vt, Amico fideli nihil est quod possit comparari. Octauum, cui gratiam auget additus Tropus aut figura: vt, Vsq; adeone mori miserum est? Ita Medea Ouidiana: Seruare potui, perdere an possim rogas? Est deniq; sententia quæ ad certam personam transfertur, vt iam sententiæ vim amittat. Velut illud Ciceron. Nihil habet Cæsar tua fortuna magis, quàm vt possis, nec natura melius, quam vt velis seruare quã plurimos. Reliqua in 2. Cõment. Eras. de copia rerum, & apud Fab. lib. 8. cap. 5. Huc pertinent Apophthegmata, quæ sunt, definitore Erasmo, acutè dicta quædam & breuia, Oratorum, Ducum, Legatorum, Imperatorum: ac, vt semel dicam, illustrium virorum, de quibus idem octo libros in lucem edidit. Præterea quæ iliaca quæ veterum dicta, quæ χρείαι vocant, huc referri debent.

Acclamatio, Ἐπιφώνημα est rei narratæ aut probatæ summe acclamatio. Quæ si commodè accinatur multum habet aculeorũ. Narrationi accinitur illud Maronis: Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Probatæ rei, vt illud M. Tullii: Quorũ igitur impunitas, Cæsar, tuæ clemẽtiæ laus est, eorum te iplorũ ad crudelitatẽ acuet oratio? Æne. 1. Pro Ligario.

Schema est Epigrammatis admodum peculiare, vt in Epigrammate

Schema eſt Epigrammatis admodũ peculiare, vt in Epigrammate de Oue Lupi catulum vberibus alẽte: Natura haud vnquã vertitur officijs. Vtitur & Val. Maximus frequẽter. Item Seneca ſuas Epiſtolas ferè claudit Epiphonemate. Apud Hieronymum, Ambroſiũ & Gregorium crebra reperiuntur Epiphonemata: velut hoc de Petro, qui dixit, Ecce reliquimus omnia. Multum reliquit, qui ſibi nihil retinuit. Conuenientiùs adhibentur in Epilogis, in quibus quæ præcipua ſunt in toto argumento, infiguntur auditorum animis. Aptè tamen & ſingulis partibus adhibetur interdum: Veluti ſiquis deteſtatus periurium, ſic acclamet: Deum negat, quiſquis per illum peierat Aut dehoratus à temerè iurando, ſic accinat: Qui ſine cauſa aſſueuit iurare, is & peierabit, ſiqua inuitet cauſa. Aut ſi inſectatus vitiũ ebrietatis, hoc modo claudat: Cui placet ebrietas, placeat & inſania. Item: Qui humanitatis putat amicum porrectis poculis ad temuletiã adigere, idẽ humanitatem appellet, amico dementiæ venenum dare. Similiter adhortationem ad liberalitatẽ in egenos, ita licebit claudere: Qui pauperem ſubleuat, Chriſtum demeretur non hominem Aut ita: Non donat homini, ſed Deo fœnerat, quiſquis opitulatur egeno. Cæterùm vt gratiam habet, ſi commodè incidat, ita frequentia & affectatio tædium adfert, & quod grauius eſt, fidem abrogat dicenti.

Noema, Νόημα, eſt cùm tectè ſignificamus, quod auditor ex ſeſe diuinet. Vel eſt obſcurũ dictum alicui oppoſitum: vt, Hortenſius negabat ſe vnquam cum matre aut ſorore rediſſe in gratiam. Intelligitur enim nunquam illi cum matre aut ſorore incidiſſe diſſidium. Itẽ: Soror fratri, quẽ ſæpius è ludo gladiatorio redemerat, dormienti præcidit pollicem Ille cum ſorore agit iniuriarum. Pro ſorore itaque dicitur iuueni: Dignus eras, qui integram haberes manum. Hic ſermo videtur eſſe commiſerantis, cùm exprobret potiùs ſeruile ingenium, qui toties fruſtra redemptus, tandẽ pollice mutilatus ne poſſet eſſe gladiator, tamẽ

Intellectus.

cum beneuola ſorore agat iniuriarũ. Ita D. Hieronymus in Epiſt. ad Chromatium: In mea, inquit, patria ruſticitas vernacula. Deus venter eſt, & in diẽ viuitur: & ſanctior eſt ille, qui ditior eſt. Acceſſit huic patellæ, iuxta tritum populi ſermone prouerbium, dignum operculum: ſignificans Epiſcopum ad improbos populi mores accommodatum.

Continuatio, eſt denſa & continens frequentatio verborum cum abſolutione ſententiarum. Vel eſt plena & citra interualla verborum frequentatio cum abſolutione & perfectione ſenſuum. Huius triplex vſus eſt. In Sententia, hoc modo: Et non poteſt multum obeſſe fortuna, qui ſibi firmius quàm in caſu præſidium collocauit. In contrario, hoc pacto. Nam ſi quis ſpei non multum in caſu collocarit, quid eſt, quod ei magnopere caſus obeſſe poſſit? In Concluſione, in hunc modum. Quod ſi in eos plurimum fortuna poteſt, qui ſuas rationes omnes in caſum contulerunt, non ſunt omnia committenda fortunæ, ne magnam nimis in nos habeat dominationem.

Expeditio, ſiue Enumeratio, eſt cùm rationibus compluribus enumeratis, quibus aliqua res aut fieri aut non fieri potuerit, cæteræ tolluntur, vna relinquitur, quam nos intendimus: hoc modo: Neceſſe eſt cùm conſtet fundum iſtum fuiſſe noſtrum, oſtendas te aut vacuum poſſe diſſe, aut vſu tuum feciſſe, aut emiſſe, aut hæreditate tibi obueniſſe: Vacuum cùm ego adeſſem, poſſidere non potuiſti: Tuum vſu feciſſe etiam nunc non potes: emptio nulla profertur: hæreditate tibi, me viuo, mea pecunia venire non potuit: Relinquitur ergo, vt me de meo fundo deieceris. Hoc ſchema argumentationi coniecturali quadrabit, vbi negotij natura dabit facultatem.

Frequentatio, Συναθροισμός, eſt cum res in tota cauſa diſperſæ vnum coguntur in locum, quò grauior aut acrior fiat oratio. Vel, eſt, cùm argumenta ſuius ac ſparſim tractata, velut in vnum faſcem collecta oculis ſubijcimus. Adhibetur attollendæ rei gratia, & Epilogis maximè conducit,

conducit,hoc modo: A quo tandē abeſt iſte vitio? quid eſt iudices, cur velitis eum liberare? Suæ pudicitæ proditor eſt,inſidiator alienæ:cupidus, intēperās, petulans, ſuperbus, impius in parentes,ingratus in amicos, infeſtus cognatis, in ſuperiores cōtumax, in æquos & pares faſtidioſus,in inferiores crudelis, deniq; in omnes intolerabilis.

Exuſcitatio, Eſt cùm & nos commoti dicere videmur, & auditoris animum commouemus, hoc modo: Quis eſt tam tenui cogitatione præditus, cuius animus tantis anguſtijs inuidiæ continetur, qui non hunc hominē ſtudioſiſſimè laudet, & ſapientiſſimū iudicet? qui pro ſalute patriæ, pro incolumitate ciuitatis, pro Reipub. fortunis, quamuis magnū atq; atrox periculum ſtudioſè ſuſcipiat, & libenter ſubeat? Equidem hunc hominem magis cupio ſatis laudare quàm poſſim, idémq; hoc certo ſcio vobis omnibus vſu venire. Expolitionis forma eſt.

Commoratio, ſiue Immoratio, eſt cùm in loco firmiſſimo, quo tota cauſa cōtinetur, manetur diutiùs, & eodem ſæpiùs reditur. Hac vti maximè cōuenit, & eſt Oratoris boni maximè pròpriū. Huic exemplū ſatis idoneum ſubijci nō poteſt, teſte Cicerone: propterea quòd hic locus à tota cauſa ſeparatus non eſt, ſicut membrum aliquod, ſed tanquam ſanguis profuſus eſt per totum corpus orationis.

Similitudo, ὁμοίωσις, Homœoſis, eſt cum aliquid ex re diſpari ſimile ad rem quampiā traducitur: Vel eſt, quando res cum re ex ſimilitudine confertur. Mancinellus:

Fertur Homœôſis quoties ſit ſimilitudo,
Sunt ſpecies Icon, vt Parabola & Paradigma.

Eſt cùm ex ſimilitudine alicuius cogniti in aliquod incognitū deuenimus. Hoc ſchema plurimū lucis ac dignitatis adfert orationi. Interim etiā ad probationē multum confert. Huius exēplum erit: Vt grauiſſimè peccant, qui fontem publicū, vnde hauriunt omnes, veneno inficiunt: ita peſſimè merentur de republica, qui principis animum

perniciosis consilijs deprauant. Item. Quemadmodum in periculosa nauigatione non ei committitur clauus, qui opibus aut nobilitate præcellit, sed qui gubernandæ nauis peritiam cæteris præstantior est: ita non oportet principatum tradere ei, qui cæteris ditior sit, aut genere clarior, sed qui prudentia & fide cæteros anteeat. Illud curandum, vt similitudo quadret ad id cui adhibetur, ne sit sordida aut obscœna, ne accersatur à rebus auditori ignotis, ne item dura & affectata, ne denique talis, vt statim in diuersum torqueri possit. Hoc schemate scatet vndiq; scriptura diuina. Inter Ecclesiæ doctores nullus hac figura largiùs vtitur, quàm Ioannes Chrysostomus. Pro qualitate ponò similitudinis variabitur orationis character. Iucundus erit, si à rebus iucundis ducetur, hoc modo: Quemadmodum blandis flatibus, aspirante Fauonio, squalor & tristitia hyemis depellitur, omnisque naturæ facies veluti noua iuuenta repubescit, arbores nouis ornantur frondibus, gramina blandè virentia varijs florum luminibus distinguuntur, amnes labuntur amœnius, Sol ipse totáq; cœli species mitiore aspectu delectat oculos: ita simul atque hominis animum afflauerit diuini spiritus gratia, protinùs abit vitæ prioris deformitas, próq; vitijs omnis vita decoris virtutibus enitescit, dicas eum feliciter renatum. Grandis tum erit, cùm à rebus sublimibus trahetur. Huius exemplum erit illud: Sicuti Deus cùm nullius egeat, tamen suapte natura gaudet omnibus benefacere: ita qui Deum patrem appellant, debent gratis de omnibus, quòd in ipsis est, bene mereri. Porrò acris dictionis hoc sit exemplum: Expallescis ad afflatum aut morsum viperæ, & ad medicum curris? quantò magis horrenda turpitudo, quæ venenum habet omnibus vipenis præsentius, quantóque celeriùs quærenda medicina? Cæterùm mediocris characteris exemplum à rebus mediocribus sumendũ, hoc pacto. Quemadmodũ, qui iuxta Hesiodi consilium crebrò parua paruis addunt, tandem cumulant

unda
ilitu-

randis
nilitu-
.

cris.
umitur
rebus
rribili-
us.
Medio-
cris simi-
itudo.

perniciosis consilijs deprauant. Item. Quemadmodum in periculosa nauigatione non ei committitur clauus, qui opibus aut nobilitate præcellit, sed qui gubernandæ nauis peritiam cæteris præstantior est: ita non oportet principatum tradere ei, qui cæteris ditior sit, aut genere clarior, sed qui prudentia & fide cæteros anteeat. Illud curandum, vt similitudo quadret ad id cui adhibetur, ne sit sordida aut obscœna, ne accersatur à rebus auditori ignotis, ne item dura & affectata, ne denique talis, vt statim in diuersum torqueri possit. Hoc schemate scatet vndiq; scriptura diuina. Inter Ecclesiæ doctores nullus hac figura largiùs vtitur, quàm Ioannes Chrysostomus. Pro qualitate pon ò similitudinis variabitur orationis character. Iucundus erit, si à rebus iucundis ducetur, hoc modo: Quemadmodum blandis flatibus, aspirante Fauonio, squalor & tristitia hyemis depellitur, omnisque naturæ facies veluti noua iuuenta repubescit, arbores nouis ornantur frontibus, gramina blandè virentia varijs florum luminibus distinguuntur, amnes labuntur amœnius, Sol ipse totáq; cœli species mitiore aspectu delectat oculos: ita simul atque hominis animum afflauerit diuini spiritus gratia, protinùs abit vitæ proris deformitas, próq; vitijs omnis vita decoris virtutibus enitescit, dicas eum feliciter renatum. Grandis tum erit, cùm à rebus sublimibus trahetur. Huius exemplum erit illud: Sicuti Deus cùm nullius egeat, tamen suapte natura gaudet omnibus benefacere: ita qui Deum patrem appellant, debent gratis de omnibus, quòd in ipsis est, bene mereri. Porrò acris dictionis hoc sit exemplum: Expallescis ad afflatum aut morsum viperæ, & ad medicum curris? quantò magis horrenda turpitudo, quæ venenum habet omnibus vipenis præsentius, quantóque celeriùs quærenda medicina? Cæterùm mediocris characteris exemplum à rebus mediocribus sumendũ, hoc pacto. Quemadmodũ, qui iuxta Hesiodi consilium crebrò parua paruis addunt, tandem cumulant

unda
ilitu-

randis
nilitu-
o.

cris.
umitur
rebus
rribili-
us.
Medio-
cris simi-
itudo.

euadunt diuites: ita qui in virtutibus ſemper ad meliora proficit, tandem perfectus euadit. Poſtremò, Humilis ſiue ſubmiſſæ dictionis hoc exemplum erit: Quemadmodum mendici ſiquid habent boni celant, ſed pannos & vlcera oſtendunt, quo ſpectantium benignitatem prouocent: ſic nos oportet non iactare noſtra benefacta apud Deum, ſed mala noſtra profiteri, ſi velimus illius in nos miſericordiam prolicere. Hum ſimi do.

Icon, Imago, εἰκών, eſt cùm vel rerum vel perſonarum imago exprimitur. Vel eſt formæ cum forma ex quadam ſimilitudine collatio. Vel eſt oratio demonſtrans corporum aut naturarum ſimilitudinem. Corporum: vt, Os humeróſque Deo ſimilis. Naturarum: vt, Duo fulmina belli Scipiadæ. Hoc ſchema minimum differt à ſimilitudine, quum ſit huius ſpecies. Nam ſimilitudo adhibetur ad ornatum, ad voluptatem, ad perſuadendum, ad euidẽtiam, ad grauitatem, & ab omni genere rerum aſciſcitur. Imago tantum ab animantis forma ducitur, & ad rem vel amplificandam, vel oculis ſubijciendam, quinetiam ad euidentiam, grauitatem, ac orationis iucunditatem facit: vt, ſi hominem rapacem aut virulentum depingas, ſimilem iubato draconi, qui oculis ardentibus, dentibus acutis, vnguibus aduncis, hiante rictu, per omnia volitet, circumſpiciens ſi quem reperiat, cui poſſit aliquid mali faucibus afflare, quem ore attingere, dentibus diſſecare, lingua aſpergere, vnguibus dilacerare. Item, Imperator noſter ignis aut ſolis inſtar armis relucens prælium ingreſſus eſt, ac more Leonis hoſtes inſilijt. Mancinellus: Vſus militi dinis. Differ ſimilit do & mago.

Ad formam formæ collatio dicitur εἰκών

Parabola, παραβολή, Collatio, eſt ſimilitudo ſumpta ab his quæ fiunt, aut quę natura caſúue rebus adiuncta ſunt. Dicta Parabola, authore D. Hiero, quod alteri παραβάλλεται, hoc eſt, aſſimilatur, & quaſi vmbra, præuium veritatis eſt. Parabola res longius quæ comparantur repetere ſolet, nec hominum modo inter ſe opera ſimilia ſpectãtur, Quæſt. ad Agla ſiam.

ſed & à mutis atq; etiam inanimis interim huiuſmodi dicitur. Cic. pro Mure. Quòd ſi è portu ſoluentibus, qui iam in portum ex alto inuehuntur, prędicere ſummo ſtudio ſolent & tempeſtatum rationem, & prædonum, & locorum, quod natura affert, vt eis faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediãtur: quo me tandem animo eſſe oportet, propè iam ex magna iactatione terrã videntem, in hunc cui video maximas Reip. tempeſtates ſubeundas. Item, Nauis pro ventorum ratione velum tollens, aut contrahens, in hoc aut illud latus transferens. Parabola eſt, quæ doceat ſapientẽ tempori cedere oportere, ac rebus præſentibus ſeſe commodare. Definitur & hoc modo: Parabola eſt comparatio rerum genere differentium. Quales in Euangelio multæ ſunt. Quum igitur alicuius vulgaris rei comparatione noſtrum inſtitutum illuſtramus, id proprie Parabola dicitur.

ib. 1. ip. 11.

Paradigma, παράδειγμα, Exemplũ, eſt enarratio exempli hortantis aut deterrentis. Fabius ita definit: Paradigma eſt rei geſtæ, aut vt geſtæ, vtilis ad perſuadendum id quod intenderis commemoratio. Habent exempla magnã vim & ad perſuadendum & ad inflãmandos animos æmulatione virtutis. Adhibentur autem non ſolùm ad fidẽ faciendam, verum etiam ad ornandã rem, ad illuſtrandam, ad augendã, ad locupletandã. Sunt porrò paradigmata aut vt ſimilia, aut diſſimilia, aut contraria. Rurſum, aut vt maiora, aut vt minora, aut vt paria. Diſſimilia ſiue inæqualia circumſtantijs ferè conſtant. Sunt autẽ circumſtãtiæ, vt obiter dicam, partim rerum, vt cauſa, locus, occaſio, inſtrumentum, tempus, modus, atque id genus aliæ: partim perſonarum, vt natio, patria, ſexus, ætas, educatio & diſciplina, habitus corporis, fortuna, cõditio, animi natura, ſtudium, anteacta, commotio, conſilium, nomen. Cæterùm exempla idem efficiunt quod ſimilitudo: nec quicquam interẽſt, niſi quòd hæc ſumuntur á factis cum authoritate. Vt, Quemadmodum equus, ſi paulatim exerceas,

ſus che- natis.

Circũſtantiæ ſuplices Græcè Periſtaſes vocantur.

Differunt ſimulitudo & paradigma.

exerceas, redditur ad ferendos ſummos labores tolerantior: ita corpus hominis, ſi per gradus aſſueſcat maioribus, tolerat quæ alius non auderet attingere: Simile eſt. Exemplum erit, Milo Crotoniates, qui ſingulis diebus ad aliquot ſtadia geſtando vitulum, eundem poſt taurum factum ad tantundem ſpatij facilè geſtauit. Sumuntur autem exempla à perſonis ſiue veris ſiue fabuloſis: præterea à brutis & inanimis: Habent enim bruta animantia naturæ ductu plurimas virtutum imagines: vt, Elephanti non coëunt, niſi in ſemotiſsimis locis, & forte interuenientem occidunt: quantò magis decet in congreſſu coniugum tametſi licita, multum adhiberi pudoris? Item. Delphini minores non ſinent vagari incomitatos: quantò magis oportet hominem liberis ſuis adhuc teneris adhibere pædagogum? Item. Vnaquæque arbor alit quod genuit, decet igitur & matres ſuo lacte nutrire filios ſuos. Porrò exempla illa potiſsimùm animos mouent, quæ ſunt antiqua, illuſtria, noſtratia, id eſt, ſuæ cuiuſque gentis: & domeſtica, id eſt, ſui cuiuſque generis. Hiſtorici ingentem vim exemplorum verorum, Poëtæ fabuloſorum tibi affatim ſuppeditabunt. [Phil. 6. cap

Digreſsio παρέκβασις, eſt alicuius rei, ſed ad vtilitatem cauſæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio. Vocatur etiam Excurſus, Egreſsio, Expatiandi genus, Egreſſus. Et quia hæc orationem maximè illuſtrat, ornat cõmet ac locupletat, haud immeritò illam huic ſchematum ordini veluti appendicem aſcribere placuit. Adhibetur autem vel laudandi gratia (qualis eſt apud M. Tullium pro L. Cornelio polularis illa virtutum Cn. Pompeij commemoratio, in quam ille diuinus Orator, veluti nomine ipſos ducis curſus dicendi teneretur, abrupto quẽ inchoauerat ſermone diuertit) aut vituperandi, aut ornandi, aut delectandi, aut præparandi cauſa. Sumuntur autem ab expoſitione rerum geſtarum á deſcriptione locorum, regionum, perſonarum: item à tractatione fabularum, Fab. I 4. cap Eraſm Auct Fab. 8 Eraſm Digrei one ſe modis vtimu Vnde greſsio petend

apologorum, præterea à locis communibus, &c. Porrò longius immorari licebit excursionibus vel in initio dictionis (Qualis illa Hercules Gallici apud Lucianum, & Lamiarum apud Politianum descriptio) vel in fine, quo iam fessus recreetur auditor: Quemadmodum in Georgicis ferè facit Virgilius. In medio, si quando digredi licebit, celerius eò redeundum, vnde digressus sis, nisi pars causæ iam absoluta digressionis ansam præbebit. Veluti post narratam causam: quò ad secuturam argumentationem auditor reddatur alacrior. Aut post probationem, siue omninò post locos inamœniores, quo tædium subtilitatis discutiatur. Aut nisi res ipsa locos huiusmodi suapte sponte afferat, qui inuitent ad diutiùs immorandum. Hæc Erasmus Barbariei in Germania nostra profligator, synceræ Latinitatis reparator, ac de omnibus literarum studiosis optimè meritus.

FINIS.

BRITISH 17 MY 1905 MUSEUM

INDEX TROPORVM AC Schematum Alphabeticus.

Antonomasia	9	Antistrophe	ibid.
Abusio	11	Articulus	46
Acclamatio	80	Agnominatio	48
Acyrologia	12	Antanaclasis	49
Antiphrasis	12	Anthypophora	52
ἄτοπον	12	Antisagoga	ibid.
Allegoria	ibid.	Χωρία	54
Aenigma	13	διαλοίπωσις	55
Asseiſmus	15	Auerſio	54
Appoſitio	19	Χρόσροδὰ	ibid.
Aphæreſis	ibid.	Ampliſicatio triplex	58.59
Ablatio	ibid.	Auxeſis	60
Apocope	20	διὰτριῶν	61
Abſciſſio	ibid.	διὰτέτρων	ibid.
Antitheſis	21	ἀεὸ ειομὸς	64
διὰτίστιχον	ibid.	διὰμεταζυλὰ	69
Apoſiopeſis	23	αἰτιολογία	71
Anaſtrophe	28	διαλῆξιν	72
Antiptóſis	31	Apophthegmata	80
Aſyndeton	33	¶ βεβαιολογία	46
Appoſitum	35	¶ Catachreſis	11
Attributum	ibid.	Charientiſmus	16
Allœotheta	37	Confuſio	30
Allœoſis	ibid.	Cacemphaton	32
Anadiplóſis	41	Cacophaton	ibid.

Caco-

Cacosyntheton	33	*Diminutio*	65
Circuitio	35	διαπολογία	72
Circumlocutio	*ibid.*	διάνοια	*ibid.*
Conduplicatio	43	*Definitio*	*ibid.*
Conuersio	44	διατύπωσις	73
Complexio	45	*Deformatio*	*ibid.*
Copulatio	45	*Demonstratio*	*ibid.*
Compar	47	*Distributio*	77
Communicatio	55	*Diuisio*	78
Conformatio	58	*Digressio*	87
Congeries	60	¶ *Eminentia*	16
Coaceruatio	*ibid.*	*Excessus*	17
Contentio	61	*Epenthesis*	19
Contrarium	*ibid.*	*Ecstasis*	20
Comparatio	*ibid.*	*Ellipsis*	21
Correctio	64	*Eclipsis*	23
Commutatio	69	*Epanalepsis*	27
Causa	71	*Epitheton*	35
Confessio	71	*Epimone*	37
Chronographia	75	*Eleuatio*	16
Continuatio	82	*Emphasis*	39
Commoratio	83	*Epanalepsis*	27
Collatio	85	*Epizeuxis*	43
Circumstantiæ dup.	86	ἔπιτροπὴ	45
¶ διασυρμὸς, *Diasyrmus*	16	*Ecphonesis*	59
Diductio	20	*Exclamatio*	52
Diastole	20	Ἐκφώνησις	*ibid.*
Diæresis	21	ἐπεξηγὴ	56
Diacope	30	*Exegesis*	59
Dialysis	*ibid.*	ἐπεξεργασμὸς	61
Dialyton	33	Ἐπανόρθωσις	64
Duplicatio	45	Ἐπαίνοδος	69
Denominatio	48	*Excusatio*	72
Dubitatio	54	Ἐπέργεια	73
διαπόρησις	*ibid.*	*Euidentia*	*ibid.*

Effictio ibid.
Expolitio 76
Ἐξεργασία ibid.
Ὑπερβάτη 80
Expeditio 82
Enumeratio ibid.
Exuſcitatio 83
Exemplum 86
Egreſſus 87
Excurſus ibid.
¶ *Figura* 7
Figurata conſtructio 22
Figura dupliciter ſumitur 4
Frequentatio 82
¶ *Gradatio* 68
Γνώμη 79
¶ *Hyperbole* 16
Hyperbaton 28
Hyſterologia 29
Hyſteron Proteron 29
Hyperbaton obſcu. 30
Hypallage 31
Hendiadis 31
Hirmos 34
ὁμοιόπτωτον 47
ὁμοιοτέλευτον 48
Hypotypoſis 73
ὁρεσμὸς 73
ὁμοίωσις 83
¶ *Intellectio* 8
Ironia 14
Illuſio ibid.
Interpoſitio 30
Interruptio 23
Inuerſio 12
Interciſio 30
ἰσόκωλον 47
ἰσοκολία ibid.
Interrogatio 49
Imprecatio 53
Inſultatio 45
Inopinatum 55
Interpretatio 59
Incrementum 60
Illuſtratio 73
Intellectus 81
Immoratio 83
Imago 85
Icon ibid.
Irriſio 15
¶ Κατάχρησις 11
Κλίμαξ 81
¶ *Liptote* 36
Licentia 56
¶ *Metaphora* 8
Metonymia 9
Metalepſis 11
Mycteriſmus 15
Metaplaſmus 19
Metatheſis 21
Macrologia 27
Membrum 47
Μετωνυμία 64
Μίμησις 65
Μετάστασις 71
¶ *Nominis conflictio* 10
Νόημα 81
¶ *Onomatopœia* 10
Obticentia 23
Obteſtatio 53

Omi-

Ominatio	ibid.	παρομολογία	71
Occupatio	70	Prosopographia	73
¶ Pronominatio	9	σχηματογραφία	76
Paræmia	14	Parabola	85
Prothesis	19	Paradigma	86
Paragoge	20	παράφρασις	87
Præcisio	23	¶ Reticentia	23
Prolepsis	26	Resumptio	27
Pleonasmus	26	Reuersio	28
Perissologia	27	Repetitio	42
Parelcon	ibid.	Reduplicatio	44
Parenthesis	30	Reprehensio	64
Παρόιμια	32	Ratiocinatio	64
Polysyndeton	33	Regressio	69
Periphrasis	35	¶ Schema	7.18
Paradiastole	44	Synecdoche	8
Πλυλογία	44	Simulatio	15
Παλύπτωτον	46	Sarcasmos	ibid.
Pronomasia	48	Superlatio	16
Παρυχία	ibid.	Syncope	19
Παρήχησις	ibid.	Systole	20
Παρονομασία	ibid.	Synalœpha	ibid.
Πίσεις	50	Synæresis	21
Πιθανολογία	ibid.	Syllepsis	24
Παράδοξον	53	Sectio	30
Paradoxum	55	Synchysis	ibid.
Permissio	55	Submutatio	31
Παῤῥησία	56	Sheſis onomaton	34
Prosopopœia	58	Significatio	39
Præteritio	70	Subiunctio	43
Paralepsis	ibid.	Συμπλοκὴ	45
Præpostèratio	29	Similiter cadens	47
Præsumptio	70	Similiter desinens	48
Præoccupatio	ibid.	Subiectio	50
Παρεκπλήξις	ibid.	Subiectio sub oculos	73

INDEX:

Συγχώρησις	56	Transſumptio	16
Συγχώρησις	ibid.	Tranſgreſſio	28
Συνονυμία	59	Tmeſis	30
Συναθροισμὸς	60	Tapinôſis	32
Synæciósis Συνοικείωσις	69	Traductio	46
Suffiguratio	73	Tranſitio	74
Sermocinatio	78	τυπογραφία	74
Sententia	79	τυποδιαία	75
Similitudo	83	¶ *Vox aliqua tribus rationibus transfertur*	8
¶ *Tropus*	7	*Vrbanitas*	15
Tranſlatio	8	¶ *Zeugma*	24
Tranſnominatio	9		

FINIS.

BRITISH
17 MY 1906
MUSEUM